6.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
3 A
58

Ex Bibliotheca
PP. Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google



CORONA SACRATISSIMORVM IESV CHRISTI VVLNERVM

XXXV. CONSIDERATIONIBVS
EX SACRA SCRIPTVRA
SANCTIS PATRIBVS
HISTORIA ECCLESIASTICA
Potiſſimum deſumptis
ILLVSTRATA.

Per

P. GVILIELMVM DE WAEL
à VRONESTEYN
Societ. IESV
SACERDOTEM.

Eiditio Tertia
auctior et emendatior.

Antuerpiæ, Apud Cornelium Woons, A° 1654.
Cum gratia et Priuilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

ADMODVM REVERENDO
PATRI IN CHRISTO
P. N. GOSVVINO NICKEL
SOCIETATIS IESV
PRÆPOSITO GENERALI.

DEbui primam opuſculi huius editionem P. N. Vincentio Carrafa, quia eo adhortatore illud ſcribere aggreſſus fui. Debebam ſecundam P. N. Franciſco Piccolominæo, quandoquidem Anno milleſimo, nono & quadrageſimo, ſupra ſexcenteſimum, Decembri menſe, Sancti Tho-

Digitized by Google

mæ Apoſtoli feſto die, cùm ſolemnis in Eccleſiâ ſacratiſſimorum Domini Vulnerum eſt recordatio, in Comitijs generalibus à Patribus congregatis, Ordinis noſtri Generalis Præpoſitus renunciatus fuerit; ſed ſeriùs id menti occurrit, neque etiam tulit temporis oportunitas. Tertiam nunc ago editionem, quam P. V. debeo, ex Germaniâ à Deo evocatæ, ac Societati vniverſæ, providentia Divinæ bonitatis admirabili, præpoſitæ; hanc, inquam, debeo P. V. cùm ſacratiſſimorum Domini Vulnerum (uti in operis decurſu videre eſt) veneratio, in Germaniâ primùm cœperit, quam nullus dubitat, quin à P. V. in Germanicis

Digitized by Google

cis, alijſque Societatis Provincijs, oportunitate datâ, promovenda ſit, eâ pietate, quâ ſuo patrocinio protexit, ac deinde poteſtate, atque auctoritate promovit Congregationem illam digniſsimam, quæ in Vrbe ſextâ quâque per annum Feriâ, tantâ frequentiâ, pijſq; tot exercitijs in Domus noſtræ profeſſæ templo, pro beata morte, cultu ac veneratione ſacratiſsimorum Domini Vulnerum, impetranda, celebratur. His, inquam, titulis offerendam iudicavi P. V. editionem hanc tertiam, prioribus longè correctiorem, & auctiorem, & magnâ parte aliam; ut quod argumento ſanctiſsimo, ac diviniſſimo deeſt à calamo meo, à benigno P. V. pa-

trocinio ſuppleatur; quæ, quandoquidem cum Apoſtolo, intimè cupiat Filijs ſuis omnibus nobis, eſſe quam optimè *in viſceribus Ieſu Chriſti*, Orabo & ego, ut Divina bonitas P. V. in ijſdem quàm diutiſſimè Societatis bono ſervet valentem, meiq́ue in paternâ ſuâ benedictione memorem. Ita toto affectu voveo

Reverendæ admodum Paternitatis Veſtræ

Humillimus in Chriſto ſervus & filius

Guilielmus de Wael
à Vroneſteyn.

BENE-

Digitized by Google

BENEVOLE
ET
PIE LECTOR.

CVm tertiæ curæ primis, & ſecundis accuratiores ſint, tertiam libelli mei trado editionem, correctiorem, & tot locis auctiorem, ut tantum non alius dici poſsit. In prioribus calamum mihi ponere non licuit, quia Dominus terminum non ponit in ſacrorum vulnerum ſuorum beneficijs, quibus ſervos ſuos, piaſque animas, quæ illa venerantur, afficit. Cùm itaque ſacra hæc vulnera, divina, inquam, illa pignora, ſine termino affluant continuis donorum cæleſtium fontibus, ſemper habebunt calami quod ſcribant, & animi quod mirentur, ac colant.

Alterum eſt; ſi fortè quis ſibi, & pietati ſuæ parari optet Coronam, quam in imagine proxima Angelus exhibet, dubi-

tetque, quid in adverſâ numiſmatum, vulnera Domini repræſentantium parte ſculpendum ſit; pedibus, ac manibus malleos inſertis clavis, cordi lanceam, Chriſti capiti coronam ſpineam, Deiparæ Salvatorem ſinu excipienti à tergo crucem opponat, & habebit non in ſacris tantùm vulneribus, ſed etiam hiſce in inſtrumentis, magnum devotionis ſuæ incitamentum; quæ eò iam apud pias aliquas animas proceſſit, ut numiſmata hæc non ærea, neque argentea, ſed aurea eſſe velint, corallinis, ſeu ſanguineis globulis, aureis catenulis, innexa; qui verò haſce catenulas argenteas volunt, aiunt ſe per eas aquam è ſacro Domini latere manantem intelligere. Ita quod cœlo, terráque, præter Divinitatem, ut cum Ludovico Bloſio loquar, pretioſiſſimum & digniſſimum eſt, ſacratiſſima, inquam,

Domini

Digitized by Google

Ad Lectorem.

Domini vulnera, digniſsimo affectu, ac pretio, ingenioſa, & gratia in Redemptorem ſuum pietas, veneratur, & inſigni pietatis teſtimonio veneratus eſt Eminentiſsimus, ac Reverendiſsimus Fabius Cardinalis Chiſius, quando coronulam hanc globulis ſanguineis, numiſmatibus, ac catenulis aureis innecti, ac parari ſibi voluit. Augeat Eminentiam illam Deus, ut per hanc Dei gloria, & ſacrorum Domini Vulnerum pietas augeatur, & per Eccleſiam emineat univerſam.

Digitized by Google

PROTESTATIO
AVCTORIS.

AD extremum; cùm exempla magis moveant, quàm verba, adferamque plurimorum Famulorum, ac Famularum Dei pietatem variam, quâ ſacratiſſima Domini vulnera ſunt venerati; uti & gratias, ac benedictiones varias, quibus illos remuneratus eſt Deus, uti hæc habeo ab Auctoribus fide dignis, quorum opera à legitimis Cenſoribus probata ſunt; non ita tamen illa propono, ut velim accipi tamquam ab Apoſtolica ſede examinata, & approbata, ſed tanquam ea, quæ à ſola ſuorum Auctorum fide pondus obtineant. Proinde Apoſtolicum ſacræ Congregationis S. R. & Vniverſalis Inquiſitionis Decretum anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum integrè, atque inviolatè, iuxta declarationem eiuſdem decreti à Sanctiſſimo D. N. D. Vrbano Pa-

Digitized by Google

Papa VIII. anno 1631. factam, ſervari à me omnes intelligant, neque intendere me aut, velle aliud, quàm digniſſimam erga veneranda Salvatoris noſtri quinque vulnera devotionem promovere, quorum ſacrum Officium, feſto eorundem die per Bohemiam recitandum, Vrbanus VIII. Pontifex Maximus approbavit, & confirmavit.

QVI

Digitized by Google

QVI
Autoritate, ac Pietate Sacrorum Quinque
VVLNERVM
DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI cultum promoverunt.

SANCTI AC SVMMI PONTIFICES.

S. *Leo Magnus.*
S. Gregorius Magnus.
Theodorus I.
Adrianus I.
Innocentius III.
Innocentius VI.
Leo X.
Sixtus V.
Paulus V.
Gregorius XV.
Vrbanus VIII.
Innocentius X.

Sancti, & Eminentiſsimi S. R. E. Cardinales.

B. *Petrus Damianus.*
S. Bonaventura.
Drogo Hoſtienſis.
Iacobus à Vitriaco.
Hugo de S. Caro.
Franciſcus Toletus
Cæſar Baronius.
Robertus Bellarminus.
Alexander Vrſinus.
Franciſcus Barberinus.
Fabius Chiſius.

San-

Sanċti Patres, & Antiqui Scriptores.

LXX. Interpretes.
Tertullianus.
S. Clemens Alexandrinus.
Origenes.
S. Cyprianus.
S. Athanaſius.
S. Baſilius.
S. Gregorius Nazianzenus.
S. Gregorius Nyſſenus.
S. Ioannes Chryſoſtomus.
S. Cyrillus Alexandrinus.
Severianus Gabalenſis.
Macarius Philadelphienſis.
S. Ambroſius.
S. Auguſtinus.
S. Hieronymus.
S. Paulinus Nolanus.
Theodoretus.
S. Cæſarius Arelatenſis.
S. Germanus Conſtantinopolitanus.
Stephanus Eduinus.
S. Anſelmus.
Euthymius.
Rupertus Tuitienſis.
S. Bernardus.
S. Thomas de Aquino.
S. Bernardinus.
Vbertinus de Caſali.
S. Antoninus.
B. Laurentius Iuſtinianus.

S. Eli-

Digitized by Google

B. Eliſabetha de Schonaugia.
S. Birgitta.
S. Catarina Senenſis.
B. Gertrudis.
B. Mechtildis.
S. Tereſia.

Varij alij Scriptores.

Alphonſus Palæottus.
Aloyſius Novarinus.
Archidiaconus.
Anonymus de Paſſ. Dom.
Auctor Quadrigæ virtutum.
Balthaſar Paëz.
Carolus Arenbergicus, dictus à Bruxella.
Cæſarius Heyſterbacenſis.
Chronicum PP. Prædicatorum.
Item PP. Franciſcanorum.
Daniel Mallonius.
Didacus Morillo.
Didacus Martinez.
Diſcipulus.
Franciſcus de Oſſuna.
Fredericus Forerus.
Florimundus Remundus.
Gaſpar Mancebo.
Gazetus.
Guerricus Abbas.
Guilielmus Damaſi Lindanus.
Hector Boëtius.
Iacobus Bozius.
Ioannes Lansbergius.
Ioannes à Sancta Maria.
Ioannes Pierius Valerianus.

Lau-

Digitized by Google

Laurent. Scalabonus.
Laurentius Surius.
Lucas Wadingus.
Ludovicus Bloſius.
Ludovicus Iacobellus.
Ludolphus de Saxonia.
Petrus Bizarus.
Petrus Cellenſis.
Paulus Arezi.
Seraphinus Razius.

AVCTORES
Societatis IESV.

S. P. N. *Ignatius.*
S. Franciſcus Xaverius.
B. P. N. Franciſcus Borgia.
P. N. Iacobus Laines.
P. N. Vincentius Carrafa.
Alphonſus de Andrade.
Alphonſus Rodriges.
Aloyſius Iuglaris.
Antonius Vaſconcellius.
Bartholomæus Fizen
Cornelius à Lapide.
Coſmus Magalianes.
Daniel Bartoli.
Gerardus Nyſmans.
Godefridus Henſchenius.
Franciſcus Ribera.
Franciſcus Sacchinus.
Franciſcus Zuares.
Hieronymus Florentia.
Horatius Turſellinus.
Iacobus Gretzerus.
Ioan-

Digitized by Google

Ioannes Alcazar.
Ioannes Bollandus.
Ioannes Rhò.
Ioannes Baptiſta S. Iure.
Ioannes Euſebius Nierenbergius.
Iulius Cæſar Recupitus.
Ludovicus de Ponte.
Martinus de Roa.
Nicolaus Orlandinus.
Otho Zylius.
Philippus Alegambe.
Paulus Barri.
Petrus Pennequin.
Scipio Paulutius.
Sidronius de Hoſſche.
Theophilus Raynaudus.
Virgilius Ceparius.

IN.

Digitized by Google

TABVLA PARAGRAPHORVM ET CONSIDERATIONVM.

ALlocutio ad animas, quæ Dominum Ieſum Crucifixum, ac vulneratum diligunt, & recogitant.

§. I. *Quàm utile ſit paſſionem, atque vulnera Domini meditari.* 1.

§. II. *Quàm grata Deo ſit Dominicæ Paſsionis recordatio, ac meditatio.* 10.

§. III. *Paupertas Domini noſtri* IESV *Chriſti paſſi, & crucifixi.* 26.

§. IV. *Chriſtus paſſus, & crucifixus, deſertus ab amicis, & notis.* 29.

§. V. *Quàm atroci ignominiâ affectus fuerit Chriſtus paſſus, & crucifixus.* 32.

§. VI. *Atrocitas cruciatuum Chriſti paſsi, & crucifixi.* 35.

ē §. VII.

§. VII. Quanti Deus fecerit vulnera Vnigeniti Filij ſui, quæ per plures Prophetas, nominatim Zachariam, prænunciavit. 41.
§. VIII. Sanctæ Matris Eccleſiæ, & Summorum Pontificum pietas, & veneratio erga Sacratiſſima quinque Vulnera Redemptoris. 47.
§. IX. Sanctorum Virorum, ac Servorum Dei erga vulnera Domini pietas, & veneratio. 65.
§. X. Eadem pietas Sanctarum, & Servarum Dei. 75.
§. XI. Modus ſuavis, & expeditus, quo & nos Domini vulnera venerari poſſumus. 79.
Modus recitandi Coronam ſacrorum quinque vulnerum Chriſti Ieſu. 87.
§. I. Quàm antiquus ſit huius Coronæ uſus,

uſus, ſeu mos ſalutandi Domini *Vulnera, per repetitam quinies orationem* Dominicam *, & ſalutationem Angelicam.* 89.

§. *II. Quàm gratus Salvatori ſit huius* Coronæ *uſus.* 94.

§. *III. Coronam hanc Roſario , ſeu Coronæ* Deiparæ *nihil obeſſe , ſed ab illa hanc magis commendari.* 98.

§. *IV. Allocutio Zachariæ Prophetæ ad Salvatorem vulneratum , & introductio ad ſequentes* Conſideratio*nes.* 102.

Quinquies quinque Conſiderationes cruentorum vulnerum Chriſti IESV.

Quot clavis Chriſt. crucifixus fuerit. 104.

De Vulnere ſiniſtri pedis.

Vulnera Chriſti,

Medicina animarum. 110.

Digitized by Google

Fontes aquarum viventium. 135.
Advocati peccatorum. 151.
Vrbes refugij. 162.
Remiſſio debitorum noſtrorum. 172.

De Vulnere pedis dextri.

Vulnera Chriſti,

Arma / *Lux* / *Theſaurus* } *animarum.* 183. 195. 200.
Fundamentum Fidei, Spei, & Charitatis. 209.
Scholæ veræ Sapientiæ. 225.

De Vulnere ſiniſtræ manus.

Quàm gratioſæ ſint animabus ſanctis vulneratæ Chriſti manus. 235.

Vulnera Chriſti,

Thecæ Dei ſcriptoriæ. 237.
Terror malorum, & Spes bonorum in Iudicio. 240.
Teſſeræ fiduciæ noſtræ. 249.

Con.

Digitized by Google

Conſummatio redemptionis noſtræ. 256.
Clauſtra inferni. 260.

De Vulnere manus dexteræ.

Vulnera Chriſti,

Cælum in terra. 266.
Via ad patriam. 279.
Pignora animarum. 285.
Omnis felicitas. 292.
Auxilium animarum Purgatorij. 295.

De Vulnere lateris Chriſti.

§. I. *An ad ſalutem noſtram neceſſarium fuerit?* 300.
§. II. *An in ſiniſtro, vel dextro latere Chriſtus lanceâ percuſſus fuerit.* 303.
Principium, & origo Eccleſiæ, & Regenerationis noſtræ. 307.
Magnes, ſeu Electrum animarum. 318.
Domicilium animarum. 324.
Sigillum animarum. 335.

Digitized by Google

Teſtis, ac Teſtamentum amoris. 350.
Allocutio ad Beatiſsimam Virginem, ac Matrem Dei MARIAM. 368.

Conſiderationum pars II.

1. *Corona ſpinea, corona ignominiæ.* 372.
2. *Corona ſpinea corona doloris.* 375
3. *Quomodo Salvatorem ſuum homo ſpinis coronet.* 379.
4. *Quibus ſpinis in hac vita coronari debeat homo.* 383.
5. *Ex SS. Patribus deſumpta.* 385.

Conſiderationum pars III.

De dolore B. Virginis Mariæ.

Quantus fuerit Deiparæ Virginis Mariæ dolor in paſsione, ac morte Filij ſui dilectiſsimi Ieſu Chriſti. 390.
Rationes doloris Deiparæ. 393.
Rationem, immenſum Deiparæ dolorem, ac mœrorem ſemper gubernaſſe. 396.

Depoſitus

Digitized by Google

Depoſitus à Cruce Salvator in ſinu Matris recumbit. 398.

Adoratio defuncti Salvatoris in ſinu afflictæ Matris. 401.

Memoria perpetua Paſſionis, & Vulnerum D. N. Ieſu Chriſti, quâ homo ſe ad felicem mortem diſponat. 406

Omiſſa ſic ſupple.

Mariæ, fol. 75. Auſtriacæ Illuſtri, fol. 115. Trieſtiorum.

Digitized by Google



BENEDIC ANIMA MEA DOMINO,
QVI CORONAT TE
IN MISERICORDIA ET MISERATIONIBVS.

Digitized by Google

ALLOCVTIO

Ad animas, quę Dominum Ieſum Crucifixum, ac vulneratum diligunt, & recogitant.

§. I.

Quàm utile ſit paſſionem, atque vulnera Domini meditari.

ANimæ, quæ vulneratum ac crucifixũ Salvatorem diligitis & recogitatis, ô quàm paucæ eſtis! Quàm rarò homo Dominicæ Paſſioni, & ſacris Ieſu Chriſti vulneribus recolendis intendit animum! cùm tamen nihil Deo gratius, ſibi nihil utilius præſtare poſſit.

Ad utilitatem quod attinet, eam indicat S. Bernardus cùm exclamans, *Quanta*, inquit, *in foraminibus petræ multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, perfe-* *Serm. 61. in Cant.*

Lib. I. Revel. c. 24.

ctioq; virtutum ! Quod ipſum Salvator ſanctam Mechtildem docuit: volebat enim, ut in meditatione quotidiana, crebrò in ſanctiſſima ſua vulnera ſe reciperet, monebatque ut in pedum vulneribus affectus ſuos omnes collocaret, in quibus expurgarentur; deponeret in vulnere dexteræ manus opera ſua, in quo perficerentur; in vulnere ſiniſtræ manus afflictiones, & tribulationes ſuas, unde levamen, ac ſolatium acciperent; in vulnere autem lateris ſui cor atque amorem ſuum, ut juncta, inquiebat Dominus, cordi & amori meo unum fiant, uti candens in igne ferrum, unum idemque cum igne videtur eſſe. Hunc profert fructum paſſionis, ac ſacrorum Domini vulnerum aſſidua meditatio.

Did. Mart. in vita S. Iac. l. 2. c. 13.

Rectè hoc etiam intellexit S. Rodeſindus, Conimbricenſis in Luſitania Epiſcopus. Delegerat is ſibi pro gentilitio ſtemmate ſanguineam Crucem, è cujus dextero brachio ſpeculũ, ſiniſtro circinũ ſuſpenderat, ut hoc ſigno indicaret in patiẽte Salvatore, ac cru-

cifixo

cifixo virtutes omnes conſpici, iiſque continuâ, atque attentâ meditatione, veluti circino, vitam noſtram, ac mores admetiendos eſſe. *Sit ergo*, ait S. Bonaventura, *regula vivendi, paſſio Salvatoris, & tantò ampliùs in hoc conſolemur, quantò ampliùs Chriſto conformamur, & tantò ampliùs deſolemur, quantò ab hoc exemplari, ac regulâ ampliùs elongamur.* *P. 1. Stim. c. 4.*

Senſum hunc hauſit Bonaventura à Seraphico Patriarcha ſuo Franciſco, qui totus in Dominum, ac Salvatorem ſuum Ieſum caritate accenſus, ab eo enixè poſtulans, quid ipſe, quid filii ſui pręſtare poſſent, quod illi gratiſſimum, & ſibi, illiſque utiliſſimum foret, ter è cœlo monetur, ut tertiò Miſſale revolveret; quod dum facit, tertiò in hæc verba incidit, *Paſsio Domini noſtri Ieſu Chriſti*; quâ, ſcilicet, nihil ipſe cum ſuis Deo gratius meditaretur, nihilque ad omnem in virtute profectum, illi imitarentur utilius. *Barri an. ſa. p. 1. c. 8. deu. 1.*

Si neſcis ſpeculari alta, & cæleſtia, inquit Thomas à Kempis, *in paſſione Chriſti, & in ſacris ejus Vulneribus libenter habita. Si* *De imit. Chr. l. 2. c. 1. §. 4.*

Digitized by Google

enim ad Vulnera & pretioſa Stigmata Ieſu, devotè confugeris, magnam in tribulatione conſolationem ſenties.

In eamdem ſententiam non minùs ſapienter, quàm piè venerabilis Pater D. Ludovicus Bloſius, Monaſterii Lætienſis, Ordinis ſancti Benedicti, in Hannonia, Abbas. *Nullus omnino,* inquit, *poteſt aliquid de Domini Paſsione humiliter legere, vel cogitare (licet modicè fortè affectu id faciat) quin eximium ſalutis fructum inde referat; quemadmodum fieri nequit, ut qui opobalſamum ſummis digitis contingit, non habeat opobalſami liquore, atque odore perfuſos. Etiamſi imago Crucifixi Ieſu piè inſpicitur tantùm, non erit inanis hæc inſpectio.*

In inſtitut. Spir. c. 6.

Igitur Dei ſervus, pergit Bloſius, *præclaram crucifixæ humanitatis Chriſti imaginem in animæ ſuæ vires, corporiſq; ſui ſenſus imprimat. Hæc enim eum tandem, in ſupereſſentialem, ac formæ neſciam imaginem, in æternum, inquam, verbum ac ſapientiam Patris, in altiſsimã Chriſti divinitatẽ mirabiliter ſuſtollet. Nam humanitas dulciſſimi Ieſu tuta via, ipſiſsimaq; janua eſt perven-*

venien-

Digitized by Google

veniendi ad ejus divinitatem. Fruſtra planè quis adſpirat ad myſticam, germanamq́; contemplationem, ſi ſe exercere non vult in meditatione paſſionis Domini, ac vera humilitate. Nam niſi illam pro fundamento habeat, quò per contemplationem altiùs aſcendere pertentaverit, eò profundiùs corruet. Sanè, etiamſi lumine gratiæ copiosè perfuſus nonnumquam extra ſuum naturale lumen rapiatur, atque in divitiis Dei abſorptus, ſeſe in ipſo lumine gratiæ feliciter perdat, dum tamen ſibi reſtituitur, convenientiſsimè cordis intuitum ad Ieſum crucifixum revocabit, huic amabili fundamento ſemper inhærens. Hactenus Bloſius.

Ita & D. Gregorius ait, S. Paulum, *Lib. 21. Mor. c. 20. & 21.* nobilem illam Iobi aquilam, in arduis poſuiſſe nidum ſuum, & ad tertii cœli ſecreta volatu ſuo aſcendiſſe, inde tamen contemplatum eſcam, patientem ſcilicet, crucifixum, ac vulneratum Salvatorem, relictâ ſupernæ Majeſtatis gloriâ, deſcendiſſe, ac ſibi, & pullis, hoc eſt, auditoribus ſuis, Dominicum Sanguinem lambendum propoſuiſſe, *2. Cor. 12. v. 4.* & poſt audita *arcana verba, quæ non licet*

homini loqui, hauſtamque cœleſtem ſapientiam, judicaſſe non ſcire ſe quidpiam inter ſuos, *niſi Ieſum Chriſtum*, *&*
1. Cor. 2. v. 3. *hunc, crucifixum*, ut à throno divinę Majeſtatis ſibi redditus, lætiùs in Cruce Domini videatur conquieſcere, quàm in admirando illo ſuo ad tertium cælum raptu, quòd in illa omnis perfectionis eſſet conſummatio.

Ita in arduis poſuerat nidum ſuum ille eremi cultor; ſed ad lambendum Domini Sanguinem non deſcendebat, qui ſublimiori orationi non parum addictus, poſt eam in ſilvæ ſuæ abdita penetrans, crudis herbarum radicibus victitabat, & fōte levabat ſitim, quem conſpicuus Angelus monuit, communem ut vitam ſectaretur, neque ſupra ſui ſimiles ſaperet, ſed in cellulâ ſuâ ſe continens, Domini Ieſu paſſionem, ejuſq́ue mortem acerbiſſimam quotidie meditaretur. Id quod ſedulò, magnaq́ue pietate deinceps præſtitit; atque ita, qui in arduis contemplationis nidum ſuum poſuerat, ad lambendum Dominicum Sanguinem, inſigni virtutum profectu, deſcendit.

Anonymus in tract. de Paſſ. Dom.

Per-

Perpende hæc anima mea, & imitare, ut cum B. Angela de Fuligno digna habearis, quæ à Salvatore audias; *Benedicti vos à Deo Patre meo, omni benedictione in cœleſtibus, qui acerbiſsimam paſsionem, & ignominioſiſsimam mortem meam tanto affectu, tamque ſedulò recolitis.* Barri. p. 1. c. 8. deu. 1.

Hanc ſibi, auguſtiſſimæque familiæ ſuæ Auſtriacæ benedictionem accumulat Ferdinandus III. ſemper pius, ſemper auguſtus, dum inter Imperij, orbiſque curas, tam pio, auguſtoque animo Chriſti *languentis*, *patientis*, *morientis* elogium antitheticum, apud ſe meditatur. Audi quàm pium ſit, quàm auguſtum in anguſtiis Salvatoris.

Triſtatur in horto lætitia Angelorum,
Affligitur in animâ refectio animarum ſanctarum.
Solatur Angelus ſolatium afflictorum.
Traditur furori luporum manſuetiſsimus Agnus.
Capitur, quem cœli capere non poſſunt.
Ligatur, qui noſtra ſolvit vincula.
Iudici præſentatur, Iudex vivorum & mortuorum.

Digitized by Google

Negatur à Petro petra ipſa Chriſtus.

Facies illa velatur in quam deſiderant Angeli proſpicere.

Falsò accuſatur veritas æterna.

Non reſpondet verbum , *per quod* Verbum *facta ſunt omnia.*

Indecorè nudatur , qui veſtit univerſa.

Tremit , coram quo tremunt poteſtates.

Dirè flagellatur Dominus, in ſimilitudinem ſervi factus.

Ignominiosè coronatur Rex Regum, & Dominus dominantium.

Stultitiæ inſimulatur ſapientia Patris.

Nocens dimittitur , innocentia damnatur.

Ponderi Crucis ſuccumbit, qui tribus digitis cœlum appendit.

Crucifigitur tamquam latro

IPSE DEI FILIVS.

Moritur , eheu ! moritur vita æterna,

Vt te mortalem, æternum reddat.

MORITVR

Deus homo factus ,

Vt te hominem deificaret.

Morere & tu

Concupiſcentiis tuis , ut vivas Chriſto ;

Mundo, ut vivas cælo;

Tibi

Tibi ipſi, & omnibus affectibus pravis,
Vt vivas ſoli Deo, pro te mortuo, in æternum.

Concordem hanc diſcordium rerum harmoniam, dum modulatus eſt, & voce ſanguinis bellè cecinit Imperator Amor in Cruce, omnia diviſa mundi regna copulavit, & ſuaviſſimè traxit ad ſe. Vtinam qui eamdem inter jucundos ſanctioris hebdomadæ luctus ante Crucem, imò mente fixus in Cruce, ſuſpiriorum ad ſonitum recinuit, omnia, quæ infidelitas divulſit regna, nexu fidei conjungat in ſe, & mundo imperet domito, non ferro, ſed ligno; benedictus à Deo copioſa benedictione, qui tam piè ac ſuavi compendio, multiplices adeò, atque acerbos Salvatoris cruciatus, non ſibi tantùm, ſed auguſto exemplo, etiam nobis recolendos proponit.

§. II.

Quàm grata Deo ſit Dominicæ Paſsionis recordatio, ac meditatio.

VErùm inſtituti mei non eſt utilitates omnes, quas adfert meditatio Dominicæ paſſionis, enumerare, obiter oſtendendum hîc cenſui, quàm illa Deo grata, acceptaque ſit. In primis Dominum Ieſum toties de ſua paſſione, tamque apertè, uti Euangeliſtæ referunt, egiſſe, etiam poſtquam redivivus ſurrexit, argumentum eſt, magnopere illi placiturum, ſi crebrò eamdem piâ attentione recogitemus. An potuerunt Dei oculi imaginem ullam jucundiorem conſpicere, quàm Ieſum crucifixum, flagellorum, ſpinarum, clavorum, lanceæ, ſcelerum denique noſtrorum veluti penicillo depictum, in Calvariæ monte, cœlo, terræque expoſitum? Certè iiſdem Dei oculis nulla ſpecies gratior exhiberi po-

Matth. 16. 17. 28. *Luc.* 8. & 9. 24.

poteſt, quàm Ieſus idem patiens, ſeriâ ac devotâ meditatione in animis noſtris,ad exemplar, quod nobis in monte monſtratum eſt, formatus, atque repræſentatus.

Refert Ælianus, Theridate vitâ functo, Artaxerxem,cui is præ reliquis aulæ ſuæ Principibus charus erat, vehemētem animo dolorem concepiſſe; eumque ut leniret, à conjuge Regina impensè petiiſſe, ut quando accepta ſibi venire cuperet, Theridatis paludamentis, ſeu veſtibus accederet induta; ut cùm aliter non poſſet, ſic ſaltem ſub imagine quem morte ſibi ereptum lugebat, videretur intueri; quod Aſpaſia, ita uxor vocabatur, levando, recreandoque Regis animo fecit non illibenter,perinde ac ſi revixiſſet Theridates, in togis ejus purpureis,aureiſque tiaris,coram Artaxerxe identidem comparens. *Hiſt. var. l. 12. c. 1.*

Tale quid nobis ſuadere videtur Apoſtolus, ſi coram divina illa Majeſtate gratioſi voluerimus comparere, cùm monet, *ut induamus Dominum Ieſum* *Ro... v. 14.*

Chri-

Chriſtum, hoc eſt, Sanguineam ejus togam; ſacris quinque, totque aliis vulneribus; quaſi totidem pretioſiſſimis gemmis diſtinctam, quâ ipſe indutus, apparet coram oculis Dei pro nobis. Et nos, ſi eâdem induti comparuerimus, non feremus repulſam.

Brev. Rom. 21. Ian. Hac veſte videor mihi videre ornatam, ac fulgentem Agnetem, ſanctam illam, atque ætate ſua majorem, tredecim annorum virgunculam, & Martyrem: quando enim à ſponſo ſuo Domino Ieſu gloriatur ſe *inæſtimabilibus margaritis, & cyclade auro textâ, ac veſtimento ſalutis* donatam, & indutam eſſe, non aliud videtur dicere, quàm, vti ajebat, Domini Sanguinem ornaſſe genas ſuas, ita ſe eodem Sanguine, quaſi purpureâ togâ, atque cyclade textâ divini amoris auro, ſacris ſcilicet Domini vulneribus, tot veluti inæſtimabilibus margaritis conſperſâ, veſtitam eſſe; in qua, ex ſenſu Prophetæ *Pſal. 44. v. 15.* Regii, caſtiſſimæ, ac ſanctiſſimæ Martyris *omnis gloria ab intus erat.*

Vtile ſimul ac jucundum fore lectori

ctori confido, ſi argumentum hoc paullò fuſiùs proſequar. In Gallia vidua erat nobilis, cui binæ erant filiæ, quarum natu minor gratioſior quidem erat, ſed vanitati impenſiùs dedita. Major verò pia magis ac modeſtior, & Deo erat addictior. Hæc ſpeculo ſuo, patientis Salvatoris pictam tabellã quotidie jungebat; memor ejus, quod apud venerabilem, ac religioſiſſimum Patrem Drogonem, Abbatem Laudunenſem, poſtmodum S. R. E. Cardinalem, atque Oſtienſem Epiſcopum legimus: *Feciſti*, inquit ille, *Domine Ieſu, de Corpore tuo flagellis conciſo ſpinis coronato, Cruci affixo, ſpeculum animarum noſtrarum*, quod virgo illa ſe comens, unà cum ſpeculo ſuo intuebatur, ut, dum pro conditione generis ſui, omnem ſeculi ornatum negligere non poſſet, conſpecto patiente, ac ſanguine madente Salvatore, ita ſe componeret, ne vanitate aliquâ ejus à ſe averteret benignos oculos. Interim, nocte quadam, per quietem viſa ſibi eſt mater videre filiam utramque; annis

La Neuſ. de vanit. veſt.

De Sacr. Dom. Paſſ.

Digitized by Google

nis minorem in vanitate ſua monſtro ſimilem, alteram Angeli inſtar ſpecioſam, quippe innocens illa anima, qualibus S. Agnes margaritis, ſacris, inquã, Domini vulneribus ornata, ejuſque pretioſo Sanguine, velut cyclade auro textâ, induta, decorem ſuum ac pulchritudinem in vultum, corpuſque tranſmittebat.

Lib. 1. de exemp. vir. c. 3. n. 9. Non diſſimile eſt, quod apud P. Ioannem Rhò noſtrum lego. Florentiæ puella vixit mundi mancipium, magis in dies occupata ut corpus ad vanitatem, quàm ut animam ad æternitatem componeret. Id cùm obſervaſſet Hippolytus Galantinus vir magnæ virtutis atque zeli, qui mulierculæ ex adverſo habitabat, & magno doloris ſenſu obſervabat, quot illa bonas horas in dies abſumeret, dũ ad ſpeculũ feneſtræ appenſum molitur, & comitur, ut ſe alioſque ſecum perderet, infelicem vaniſſimæ puellæ ſortem miſeratus, ut eam in viam reduceret, cubiculi etiam ſui feneſtras omnes aperit, ac per illud ſtudiosè inambulans, crinem pectit,

pectit, veſtes componit, & quaſi ſpeculum aliquod intueretur, illud identidem conſulit. Quod illa ubi curioſiùs obſervat, mirata viri, vulgo ſancti, levitatem, non ſine impudenti cachinno; Heus, inquit, Domine Hippolyte, tuum ſpeculum, ut me in hoc contempler, quàm concinnè compta ſim. Tum Hippolytus; opportunitatem, quam diu optaverat, nactus, vultu ad commiſerationem, pietatemq́ue compoſito, novi generis ſpeculum, ingenioſo ac ſancto commento, Chriſti Domini ſcilicet flagellis conciſi, ſpinis coronati, ac ſanguine fluentis tabellam eleganter depictam illi objicit; quo illa perculſa ſpectaculo, atque in hac, velut in divina cryſtallo, conſpicata turpitudinem, atque vanitatem ſuam, mundo nuncium remiſit, vitæq́ue religioſæ ſe conſecravit, tantò ſtudioſiùs, ex monito Apoſtoli, induens Dominum Ieſum Chriſtum, animamq́ue ſuam ad ſpeculi ſibi ab Hippolyto donati formam componens, quantò ante corpus ad omnem

vani-

Digitized by Google

vanitatem compoſuerat curioſiùs. O! quàm ad prototypum ſuum Crucifixum, animæ hujuſmodi, veſte Chriſti patientis adornatę, gratum acceptumque ſpectaculum fiunt Deo, Angelis, & hominibus!

P. 1. Stim. cap. 7. Horreo referre, quod apud S. Bonaventuram pium adeò atque ſuavem S. E. Doctorem, lego: *Non ſe reputet*, inquit, *quis hominem, ſed beſtiam, & plus quàm beſtiam, niſi ſit veſtitus Domini paſſione*, quâ Paulus Romanos veſtitos cupit, cùm ad illos ſcribens, ait: *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum*, crucifixum ſcilicèt, ac pro vobis vulneratum: obſervaverat enim Apoſtolus à Romanis indui Neronem Cæſarem, uti ait Ambroſius, togis ſuis ac paludamentis intertextum. Volebat itaque illos in animis, patiente Ieſu veſtiri, qui in corporibus Nerone triumphante veſtiebantur. *Rom. c. 13. v. 14.*

Sed quàm rari ſunt, qui hoc perpendunt, & intelligunt. ſemel, per anni decurſum, concionatorem audimus de Paſſione Domini verba facientem, & dicto-

dictorum protinus obliviſcimur. Hæreat animis, quod Bernardus nos monet; *Eum ſcilicet, qui ſenſum Chriſti habet, ſat ſcire, quantum Chriſtianæ pietati expediat, quantum Dei ſervum, & ſervum Redemptoris deceat, unâ ſaltem aliquâ diei horâ paſsionis ipſius attentè recolere beneficia; cùm Dominus ipſe Ieſus*, ut pluribus vir ille ſanctus perſequitur, qua nocte tradebatur, ad hanc nobis commendandam recordationem, auguſtiſſimum ſacratiſſimi Corporis, & Sanguinis ſui Sacramentum inſtituerit, tantum inexplicabilis ejus erga nos amoris monumentum. Vt cùm hujuſmodi monitorem habeamus, non niſi ſummâ incuriâ, atque ingrati animi ſignificatione, paſſionis ejus ac mortis pro ſalute noſtra toleratæ obliviſcamur. *In tract. de vita ſolit.*

Sed quanto prodigio oſtenderit Deus, gratũ ſibi eſſe continuam à nobis paſſionis, ac mortis Salvatoris recoli memoriam, in ſancta Clara de Montefalco, S. Franciſci alumna, admirandæ ſanctitatis virgine, manifeſtum eſt. Potuit, uti quondam S. Ber- *Barri an. Sap. 1. c. 8. devot. 1. ex Luca VVad.*

Digitized by Google

nardus ad ſuos, ita & illa ad ſuas dicere: *Quàm ſæpè de paſſione Domini mei Ieſu verba faciam, vos mihi teſtes eſtis, quàm ſæpè cogitem, teſtis mihi eſt Deus*; die enim nocteque erant virginis oculi defixi, ac cor intentum in patiente, ac crucifixo Redemptore; qui crucem humeris geſtans, tandem ſe illi videndum exhibuit, totumque ſe, ac paſſionis ſuæ inſtrumenta cordi Virginis impreſſit, non viſâ, neque auditâ hactenus cælaturâ.

Vivere Clara deſijt expleto trigeſimo tertio ætatis ſuæ anno; immortua eidem vitæ curriculo, cui immortuus eſt Salvator, ut quæ cruciatibus ejus conſtanti commiſeratione, atque imitatione convixerat, in his eundem annorum vitæ terminum inveniret, quem in ijſdem tolerandis Salvator ſibi ſtatuerat; illi & in vita, & in morte quàm ſimillima, dum hic Cruci, illa affectui, & imitationi Crucis immoritur.

Apertum defunctæ corpus fuit, atque miræ magnitudinis, infantilis inſtar

ſtar capitis, cor repertum, Dominicæ paſſionis inſignia omnia repræſentans. Attende, obſecro benevole Lector, & obſerva, quantarum fons ſit gratiarum, quamque Deo acceptum, crebrò attentâ meditatione Domini Ieſu cruciatus revolvere.

In parte itaque cordis dextera, Chriſti Ieſu crucifixi imaginē videre erat pollicis magnitudine, ſublatis brachijs, capite in humeros declinante, lateriſque vulnere recenti cruore manante. E parte ſiniſtra circulus ſe primum offerrebat, nerviculis hiſpidis præacutis contextus, ſpineæ Domini Coronæ exemplar; deinde armata manus, quæ innocenti Salvatori alapam impegit; claviculi item tres, funiculis totidem, quorum duo altiùs, tertius demiſſiùs, ſuſpenſi. pone erat flagellū nodoſum, columna, ſpongia arundini impoſita; lancea item, quæ Spoletini Vicarii digitum, illam tentantis cuſpide ſua pupugit; ſindon etiā variis diſtincta vulneribus non deerat: ut cruciatuum

Domini officinam, cor Claræ fuiſſe meritò dixerim. Eia fideles animę, quę crucifixum Ieſum diligitis, ejus crucem, ejus ſupplicia, ejus ſacra vulnera nullo non die, nulla non nocte, piâ commentatione expendite, ut ſi non prodigio tanto in cordibus, imitatione certè in moribus veſtris formetur.

Hanc paſſi Chriſti memoriam nos docuit Deipara, quæ ita affata B. Birgittam; *Omni*, inquit, *tempore quo poſt aſcenſionem Filii mei vixi, viſitavi loca, in quibus ipſe paſſus eſt, & paſsio ejus in corde meo ſemper erat, ſive comederem, ſive biberem, ſive quid aliud agerem.* Exemplo ſuo Mater, ac Magiſtra præivit, ut doceret nihil nobis utilius, nihil Deo gratius eſſe continuâ paſſionis dilecti Filii ſui in nobis memoriâ. Quam ne unquam deponamus D. Paulus hortatur, non ut cogitemus ſolùm, *ſed recogitemus eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſum ſemetipſum contradictionem*, & fructum addit, *ut ne fatigemur animis noſtris: nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitimus adverſus peccatum depugnantes.*

Lib. 6. Revel. c. 65.

Heb. 12. v. 3.

Monen-

Monentem Apoſtolum audivit B. Catharina Bononienſis è divæ Claræ familiâ, quæ diu multumq́ue cupida, ut internos Chriſti Ieſu, atque ejus externos dolores, quos animo, & corpore erat perpeſſus, mente cernere, ac comprehendere poſſet, die quodam Veneris ſancto, cùm in eo deſiderio ante crucifixum ſuum (cum quo illi creber erat ſermo) orationi & meditationi eſſet intenta, ſignificavit illi Salvator, hanc ejus pietatē admodum ſibi placere, quâ ſe quotidie in meditanda paſſione ſua occupabat, atque, ut alij piam hanc conſuetudinem aſſumerent, laborabat. Deinde illi aperuit ipſo temporis momento, quo à ſanctiſſima Virgine Matre ſua fuit conceptus, cor ſibi animumq́ue immēſis, innumerabilibuſq́ue doloribus, & anguſtijs oppreſſum fuiſſe, quòd jam inde proſpiceret, ac præſentiret quidquid laborum ac ſuppliciorum, toto trium, ac triginta annorum decurſu, perpeſſurus eſſet; fatebatur tamen tormento nullo majori fuiſſe ſe affectum, *In vita eius.*

BIBLIOTECA ... VITTORIO EMANUEL...

qùàm dùm inexplicabilis hominum ingratitudo ipſi obverſaretur, qui acerbam adeò ejus paſſionem, ac mortem negligerent, & ſanguinem Filij Dei peccatis ſuis conculcarent: ſalutis, quam ipſis adferebat, & offerebat, nimis immemores.

Graves autem, ajebat Dominus, mihi erant omnes Mercurij dies: quia in horum poſtremo Iudas, quem orbis Apoſtolum, ac Doctorem elegeram, hoſtibus mihi infenſiſſimis, triginta me argenteis erat venditurus, ac deinde proditurus; quo ſcelere ipſe ſibi miſerandam mortem, Ieroſolymæ excidium, Iudæorum genti univerſæ à Patre electæ, ruinam parabat extremam; quæ omnia vehementer me affligebant. Sed dies Veneris erat mihi, dum vixi, præ animi anguſtijs, continuum cum morte certamen, cùm ſupplicia, quæ in eorum ultimo ſubiturus eram, ſingula totâ ſuâ atrocitate, mihi obverſarentur. Inter hæc ingenti mihi dolori erat Matris meæ innocentiſſimæ, mihique cariſſimæ immenſa tri-

Digitized by Google

triſtitia, quâ, mei causâ, affligenda erat. ſiſte hic anima mea & perpende qua ratione ita Salvator nondum natus, & infans, & puer, & adoleſcens, & juvenis, & vir, hoc eſt, omni ætatis ſuæ parte, mentis prævisione & apprehenſione ſupplicia, paſſionem, crucem ac mortem ſubivit, ut omni hominum ætati ſaluti eſſet.

Quod dum pius ille, ſimul atque elegans Poëta perpendit, miraturque Dominum *deſiderio deſideraſſe Paſcha manducare cum Diſcipulis ſuis*, quia ſubeundæ Crucis anhelabat ad diem, exclamat: *Luc. c. 20. v. 15.* *Sidronius de Hoſſche eleg. 2. de paſſ. Dom.*

Chriſte quid ætatem, menſeſque annoſque morantes,
Quid quereris lentè currere Solis equos?
Et, quaſi nunc iras, quibus in te ſæviet olim
Crudelis Solime, non paterere, gemis?
Parce queri, quidquid vitæ tibi fluxit ab illo
Quo cæpit primum tempore, pœna fuit.
Expletur ſitis iſta tibi, quâ fervidus ardes,
Plena quid in mediis flumina quæris aquis?
Si, niſi morte tamen, non pones mortis amorem,

 Vtilior

Vtilior votis eſt mora longa tuis.
Hæc tibi ſupplicium eſt, hæc mortes mortibus addit:
Hæc quidquid faciet barbara turba, facit.
Cur igitur tibi creduntur mala tanta ferenti
Tempora ſuppliciis lenta venire tuis?
Quod petis hoc tecum eſt: neque Crux fatalis amantem
Deſerit, aut ſummum deſeret ante diem.

Vt ergò in viam revertar à qua amabilis hic luſus me nonnihil abduxerat, Tibi ergo (pergebat in virginis alloquio Chriſtus) Catharina, ut majorem quàm antehac à me ineas gratiam, non dies elabatur, quo non, uti cœpiſti, animam ad paſſionem meam convertas; alioſque, ut idem præſtent, cohortare, ſi mihi rem gratam, ſibique jucundam, & utilem facere velint.

Surius in vita eius.

Idem ab ipſo Salvatore edoctus fuit S. Edmundus Cantuarienſis in Anglia Archiepiſcopus. Cùm enim is adoleſcens Oxfordiæ litteris daret operam, vrbe ad animum recreandum egreſſo, viæ comitem ſe junxit, ut mox patuit, Dominus Ieſus, libe-

liberali juvenis honorati ſpecie, pijs colloquis Edmundum detinens, ac recreans, illıque ſuadens, ſi de infernali hoſte victoriam reportare, ſi ın omni virtutum genere progredi, ac beatâ morte vitam claudere; ſi Deum, ac Salvarorem ſuum ſibı benevolum cuperet, nullo non die, partem aliquam de paſſione eius mente recoleret.

Quod rectè etiam intellexit, & vſurpauit Abbas venerabilis Stephanus apud Ioannem Moſchum, qui à ſenibus tribus conuentus ac rogatus, ut de Deo, diuiniſque rebus, atque virtutum profectu eos edoceret; cum non pauca Stephano propoſuiſſent; *Ignoſcite mihı*, inquit; *vſque modò non attendi quid locuti eſtis: verumtamen, quæ ego habeo dico vobis; Ego diu, noctuque nihil aliud aſpicio, niſi Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in ligno pendentem;* Omnia docuit quando vnicum hoc, Ieſum paſſum, & crucifixum, ſenes ſuos Stephanus docuit: Inſpiciamus illum & nos, & faciamus ſecundum propoſitum nobis in monte exemplar, quod ut op- *cap. 29.*

tato faciamus fructu, quatuor in Chriſto paſſo, & crucifixo conſideranda compendio propono. Neque in hæc à propoſito deflecto, qui ſacratiſſima Domini vulnera tractare decrevi,
Io. 19. v. 31 cùm hęc ſint Paſſionis Dominicæ *conſummatio*, ipſo teſtante Domino, & æternum ejuſdem ornamentum, ac monumentum: ſempiternæ item officinę, in quibus cruciatus paſſi Salvatoris reconditi, à nobis piâ meditatione quæruntur, & eruuntur: Præmitto itaque argumentis quatuor patientem Ieſum in Cruce clavis, & lanceâ vulneratum, ac confixum.

§. III.

Paupertas Domini noſtri Iesv *Chriſti paſſi, & crucifixi.*

EO paupertatis reduci voluit Salvator, ut omninò neceſſaria omnia ei defuerint, ut nec lectulus, in quo moreretur, illi fuerit; neque in ſiti

ſiti aliud, quo ſe in mortis agone aliquantulum reficeret, conſequi potuerit, præter fel & acetum ab hoſtibus oblatum. Cùm autem dicat Apoſtolus habere quo quis ſe tegat, quodq; comedat, ijſque contentum eſſe, ordinatam quidem, ſed non exiguam eſſe paupcrtatem; Salvator noſter vltra progreſſus eſt, quia neque quo ſe tegeret, habuit, neque quo ſitim reſtingueret; linteum illi deerat, quo mortui corpus involveretur, quod & in alienum ſepulchrum illatum eſt. Atque cùm unicuique jus ſit, ut de vili ac quotidiano amiculo ſi aliud habeat nihil, diſponat, Salvatori pauperrimo id non licuit; diſtractis inter milites veſtibus, & tunicâ inconſutili, quam à matre contextam, vt nonnulli ſcribunt, eidem relinquere, vtrique ſolatio fuiſſet; ſed cæli terræque Domino in veſtem pauperrimam dominium permiſſum non fuit. Hoc exemplo adducti ſanctiſſimi quique viri, Deique lumine pleni, ita animo affecti fuêre, ut non adeò cupidè, atque arden-

1. ad Tim. 5. v. 8.

Math. 27. v. 35. Io. 19. v. 23.

denter mundani homines divitijs delectati ſint, ac hi paupertate, nec tanto illi ſtudio in opes amplificandas incubuerint, atq; hi pro paupertatis bono adlaborauerint. Inter quos omnes, inſignis fuit B. Franciſci virtus, quem ſcribit S. Bonaventura ita ex animo paupertatem coluiſſe, & amaſſe, ut eam quaſi iam toto orbe terrarum pulſam, caritate perpetuâ ſibi deſponſaſſe viſus ſit, eiuſque causâ non ſolùm patrem, & matrem, ſed etiam quæ habere potuit vniuerſa, reliquerit. Itaque cùm ſæpè à fratribus rogaretur, quænam virtus nos præcipuè Chriſto Domino commendaret, gratoſque faceret, eum, cum inuſitato quodam affectu reſpondere ſolitum, *Paupertatem*; eam enim eſſe viam ſalutis, humilitatis fomentum, perfectionis radicem, & ab ea multiplices fructus exiſtere, quamquam occultos, & pauciſſimis cognitos, quos tamen, cùm etiam ab æterno cognouiſſet Filius Dei, paupertatem, quæ, vt ait S. Bernardus, *non inueniebatur in cælis*, factus homo quæſiuit,

Serm. 1. in vigil. Nat. Dom.

ſiuit, inuenit, amauit, ac complexus eſt in terris, in paupertate naſcens, in paupertate vivens, in paupertate, & rerum omninò omnium penuriâ moriens, exemplo, quod non niſi à Dei Filio, proponi poterat hominibus.

§. IV.

Chriſtus paſſus, & crucifixus deſertus ab amicis, & notis.

ITa deſertum fuiſſe graviſſimum illi fuit, vt meritò exclamet: *Conſiderabam ad dexteram, & videbam & non erat, qui cognoſceret me; Longè feciſti notos meos à me; poſuerunt me abominationem ſibi!* Eoque gravius fuit afflictiſſimo Salvatori ita deſeri, quo ex gradu altiore, & honoratiore deiiciebatur. Cùm enim velut ſanctus ſummo ſemper honore cultus fuiſſet, eumque ut Prophetam habuiſſent, voluiſſentque etiam ad regnum rapere, & tanquam magiſtrum ac Doctorem audiviſſent, eum ſecuti

Pſal. 141. *v.* 5. *Pſal.* 87. *v.* 9.

Digitized by Google

ſecuti in templo, Synagogis, civitatibus, deſerto, terrâ, mariq́ue; cùm fuiſſet admirationi, atque ſtupori omnibus ob eximia & crebra miracula, denique gratiſſimus, ob quotidiana beneficia, ſubitò mutari hæc omnia in ſummam ingratitudinem, & implacabile odium, ut ab omnibus deſereretur, non potuit non graviſſimè Salvatori accidere. Neque hæc inconſtantia ſola in Magiſtratu Iudaico, atque populo ſe prodidit; ſed etiam in ipſis Apoſtolis, quos præ cæteris Dominus elegerat. Iudas enim illum triginta argenteis, pretio viliſſimo, vendidit; Petrus, quem Apoſtolorum Principem conſtituerat, eum non ſolùm negavit, ſed & execratus abiuravit, ut diceret non noſſe ſe hominem; reliqui. Magiſtro, ac Domino ſuo hoſtibus relicto, omnes fugerunt. De ipſo etiam cæleſti patre ſuo exclamat querens; *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* dicam ego mi Ieſu; Ne nos homines, noſtramq́ue ſalutem deſereret filium ſuum dilectum, atque unigenitum deſerit Pater.

Matth. c. 27. v. 24.

Sola

Sola ejus benedicta Mater, cum S. Ioanne, & mulieribus paucis, à quibus ſubſidij nihil ſperare poterat, ſola, inquam. ejus benedicta Mater (explicans & obijciens animam ſuam doloris gladio, quem Simeon ſenex illi prædixerat) filium ſuum dilectiſſimum non deſeruit, ſed ubi poterat præſens illi adfuit, quod Salvatori afflictiſſimo, non tam ſolatio, quàm novo erat cruciatui, cùm à Iudæorum feritate, atque crudelitate non tam in ligno, quàm in corde ſuo, ac Matris dilectiſſimæ, ab amore utriuſque reciproco, crucifigeretur. Quis tunc benedicto Salvatori fuit animus, cùm ſe ab amicis deſertum, & hoſtibus circumdatum conſpexit? conſtans ille erat ac fortis nobiſque in exemplum propoſitus, ut ab hominibus deſerti, intelligamus, Deum ſupereſſe, quantumvis pro tempore ſe ſubtrahat, ad quem confugiamus, qui ſuis adeſt in tempore opportuno.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

Quàm atroci ignominiâ affectus fuerit Chriſtus paſſus, & crucifixus.

ATrociſſima illa fuit ex parte perſonæ Salvatoris, quæ Deus verus erat; quatenus verò homo, eam plus ſenſit, quo nobiliori erat animo, majoremq́ue jam inter homines æſtimationem, & honorem conſecutus, majori ab illis obſervantiâ, atque reverentiâ colebatur. Nihilominus tamẽ Principes, ac Magiſtratus, ſe illi immortales hoſtes ſunt profeſſi, ſuoſq́ue miſerunt, qui manu armatâ extra vrbem, publicum veluti latronem caperent, & vinctum Ieroſolymam pertraherẽt; quod cùm plebs excita clamore, ac tumultu ſatellitum, militumq́ue qui Ieſum vinctum ſtipabant, obſervaret, ac tantâ vident affectum ignominiâ, omnes (quod fieri ſolitum) ſe in opinione ſuâ quàm de ejus ſanctitate cõceperant

ceperãt, deceptos querebantur, & pœnitentes erroris ſui, indigneq́ue ferentes tanto ſe honore, reverentiâque hominem nequam affeciſſe, errorem illum ſuum novis injuriarum, & infamiæ modis corrigere ſtudebant; vt verè queratur *ſe cum ſceleratis deputatũ, vermemq́ue eſſe, & non hominem, factum hominum opprobrium, & abiectionem plebis;* *Iſa. 57. v. 4. Pſ. 21. v. 6.* quæ, ſecuta Majorum exempla, errare ſe non poſſe judicabat, quando Magiſtratus ſuos, Scribas, Legiſperitos, Sacerdotes, horumq́ue Principes, Regem Herodem, Dominum Ieſum, vt ſceleratum, ac fatuum tractare obſervabat. Præter hæc vt homo nihili vendebatur à diſcipulo ſuo Iuda argenteis triginta, pretio viliſſimo, negabat illum Petrus, quaſi indignum quem noſſet, ac ſequeretur.

Hęc plebs videns, atque intelligens, honori ejus detrahit, voces ſpargit; blaſphemum eſſe *Ieſum*, Filium Dei ſe facere; affectaſſe regnum, eſſe impoſtorem, turbulentum, magum, ac veneficum, qui confictis miraculis,

Digitized by Google

& ope dæmonum patratis hominibus impoſuerit, vt ad ſe omnes alliceret, *multaque alia blaſphemantes dicebant in*
Luc. 22. v. 65. *eum.* Hinc corona ſpinea, arundine pro ſceptro, vili purpurâ eluſum, vt Regem ludicrum; velatâ facie percuſſum, vt prophetam vanum conſalutarunt; collatum autem à Pilato cum Barraba latrone, homicidâ, ac ſeditioſo, hoc libero abire juſſo, *Ieſum* vt nequiorem, ac ſceleratiorem ad mortem poſtularunt, atque duos inter latrones, vt horum principem, Cruci affixerunt.

Mi *Ieſu*, Rex gloriæ, hominum gloria, & honorator, quis te omni gloriâ ac honore digniſſimum, vilem adeò ac contemptibilem reddidit, non alius, quàm ſuperbia, arrogantia, ac iactantia mea.

Eja animæ Chriſtianæ, quæ gloriam ab invicem quæritis, quæ Dominum *Ieſum* tantopere contemptum, tantâque ignominiâ affectum auditis,
1. Ad Tim. 1. neque ſatis conſideratis, & comprehenditis, *Regi ſeculorum immortali, atque inviſibili omnem honorem & gloriam*

riam in omnibus adſcribite, atque *omne gaudium* ac gloriam *exiſtimate,* cum illo contemni, & quâcunque ignominiâ deſpici, *non enim eſt ſervus maior Domino ſuo.*

§. VI.

Atrocitas cruciatuum Chriſti paſſi, & crucifixi.

PAſſus eſt Dominus *Ieſus* pro innumeris mundi totius peccatis, voluitq́ue copioſiſſimè Patri ſuo cælesti ſatisfacere, illiſq; commenſurari cruciatus ſuos, ut ubi abundarent delicta, abundarent & tormenta, quæ, quod ſine ſummâ admiratione cogitari non poteſt, breui illo tempore, quo ſeries paſſionis Salvatoris noſtri duravit, adeò gravia fuerunt in omni pœnarum genere, omnibuſq́ue eam paſſionem aggravantibus circumſtantijs, ut fieri poſſe non videatur ulla pœnarum genera in hominum quempiam

poſſe concurrere, quin eas Dominus Ieſus longè acerbiores ſuſtinuerit.

Aggreſſus eſt Salvator ab horto cruciatus ſuos; à loco, qui in delicijs ſolet eſſe hominibus. In hoc flores illi fuerunt, ac fructus, *pavor, tædium, triſtitia, ac mæſtitia ad mortem vſque*, neque afflicto ſolatium vllum erat ab homine, aut à Deo. Advenit quidem Angelus de Cælo, nulla tamen ſubmovens ſupplicia, ſed ad graviora confortans Dominum. Et inter hæc tam fortis, tam conſtans eſt animo, vt orationem ad Patrem tertiò repetat, nunquam exauditus; ad eandem hortetur diſcipulos; animos illis addat, quietem indulgeat, dum maximè angitur, & ſudorem inter ſanguineum cum morte luctatur, quietem non aliam ambiens, quàm in æterni Patris ſui voluntate, tormentorum ac cruciatuum extremorum feraciſſimâ, vt nos ab æternis ignibus, & cruciatibus redimeret.

O horte amœne, ac pretioſe! in te enim eſt legere æternæ vitæ delicias,

ac

Digitized by Google

ac pretium. Exhalationes tuæ thuris ſunt, orationis, inquam, ad Patrem, quas iterum & iterum exſpirat in te Dominus Ieſus, areolæ tuæ myrrhinæ, Salvatori amaræ, ut mihi ſacro ejus cruore irrigatæ cæleſtem dulcedinem proferant. Quis mihi det ut in anguſtiarum tuarum labyrintho cum patiente Ieſu inambulem, & me in iiſdem cum ipſo perdam, ne ipſum perdam & perdar æternùm?

Verùm quàm acerbos adhuc fructus hortus hic innocentiſſimo Salvatori produxit! In eo ab hoſtibus ſuis capitur, Iuda, diſcipulo ſuo, duce; crudeliter manus, & brachia, totúmque corpus ligatur; crudeliùs Hieroſolymam rapitur; præſentatur inimico Iudici; reus mortis innocens acclamatur; nocte totâ militum, ac hoſtium ludibrio exponitur; alapis percutitur, pugnis tunditur; fœdiſſimè in faciem, quæ cæli gloria eſt, conſpuitur; exhauſtis viribus alterâ die manè ſummo, nullâ miſero datâ quiete, ad varia tribunalia raptatur; virgis

 imma-

immaniſſimè cæditur ; atrociſſimè ſpinis coronatur, fitque totum corpus vulnus unicum, totque ſanguinei fontes prorumpunt, quot venæ in eodem numerantur, quibus, anima mea, ne lacrymulâ unâ reſpondes, ita arida es, tot licet divinis fontibus irrigata. *Vide*
Heb. 6. v. 8. *ne maledicto proxima ſis, ſupervenientem in te toties imbrem hunc bibens, & non proferens fructum! Ah mi* Ieſu! *vir dolorum, & ſciens infirmitates*, ignoſce ſi te compello, quẽ tamẽ non agnoſco; ita enim alapis, ita pugnis contuſus, ita fœdè conſputus, & ſanguine proprio obte-
Iſa. 53. v. 2. ctus es, ut tibi *neque ſpecies ſit, neque decor*; nec alia tibi ſunt ſigna, & lineamenta ſacroſancti vultus tui, quàm amoris in nos, & charitatis, quibus te agnoſco, & adoro Deum meum, Ieſum meum, ita defœdatum, ac deformatum, ut me prodigum filium, oculis patris tui cæleſtis ſpecioſum, atque gratioſum repræſentares.

Aſcendamus modò ſupremum divinę Iuſtitię theatrum, Calvariæ montem, in quo primus cæli terræque Mo-

Monarcha, vitam ponet, morte turpiſſimâ, atque acerbiſſimâ, Cruci ſubfixus; felle aceto mixto, ad ſolatium patienti, ac morienti, oblato, eo tempore quando cruciatus, & dolores omnes in membris ſingulis intendebantur, plagæ omnes renovabantur, ſanguis copioſſimè profluebat. Et jam exſpiraturo non virgis, non ſpinis aut clavis, ſed maledicis linguis vulnera animo afflictiſſimo addebantur; quãdo ipſe ſeptem verba locutus, *memor miſericordiarum ſuarum, quæ à ſeculo ſunt*, injuriarum immemor; primum pro hoſtibus, à quibus tanta patiebatur, pronunciavit, oravitque illis à Patre veniam; ut primum & maximum opus eſſe nos doceret inimicos diligere, iiſque benefacere.

Deinde pœnitẽti latroni Paradiſum pollicitus, Matrem Ioanni, Ioannem, & nos in Ioanne, Matri commendavit. Tum queſtus à Patre ſe derelictum, ſitire ſe, ſcilicet animas noſtras, enunciavit, denique conſummata omnia, hoc eſt, Patris voluntatem ac redem-

ptionem noſtram profeſſus, in Patris manus animam commendans, *clamore valido*, ut ait Apoſtòlus, *inclinato capite* & nobis pacis oſculum offerens, *emiſit ſpiritum*, quo vitam vivàmus immortalem ac beatam.

Heb. 5. v. 7.

Ad talem tamque atrocem Filij Dei mortem, qualem nunquam viderat mundus, neque videbit deinceps, Sol tenebras, luctumque induit, terra mota eſt, petræ ſciſſæ, monumenta aperta ſunt, ut mortui funeri Creatoris, ac Salvatoris ſui illachrymarentur, cùm vivi obſequio iſti deeſſent, petris duriores, ſoleque ac terrâ minùs ſenſibiles.

Atque hæc ſit venerabilis Abbatis Stephani doctrina, quam de Chriſto paſſo, & crucifixo ſenibus ſuis tradidit. Pergo ego ad corpus Domini Ieſu à cruce, & ſepulchroglorioſum, in quo, uti redivivus ſacratiſſima pedum, manuum, ac lateris vulnera ſervavit, æterna amoris ſui erga nos monumenta, ita nihil illi gratius, nihil nobis ad omnia animæ ſubſidia utilius,

quàm

Digitized by Google

quàm hæc pignora ſanctiſſima, omni cultu, devotione, ac reverentiâ proſequi.

§. VII.

Quanti Deus fecerit vulnera Vnigeniti Filij ſui, quæ per plures Prophetas, nominatim Zachariam, prænunciavit.

E*T oſtendit mihi Dominus*, ait Zacharias, *Ieſum ſacerdotem magnum (illum, inquam, ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedcech) Ieſum Chriſtum*, verè magnum, verè ſacerdotem ſummum. Ita hunc locum interpretantur Origenes, Hieronymus Ambroſius, Auguſtinus, alijque. *Zach. c. 3. pſalm. 109. v. 5.*

Verùm quâ formâ, quóve habitu Ieſus ille ſacerdos magnus Prophetæ oſtenſus fuit? Num fortè habitu illo ſacerdotali Aaronico, incredibili Maieſtate ſplendido, & reconditis pleno

myſterijs? nequaquam, ſed formâ fuit lapidis repræſentatus. *Ecce lapis*, ait Propheta, *quem dedi coram Ieſu, ſuper lapidem unum ſeptem oculi ſunt. Ecce ego cælabo ſculpturam eius dicit Dominus exercituum, & auferam iniquitatem terræ in die una.* In Hebræo legitur: *Et ego aperiam aperturam eius.* Hæc autem apertura in lapidibus, aut ſimili materia, idem eſt quod ſculptura, aut cælatura, ait Franciſcus Ribera noſter.

Fruſtra probavero Salvatorem noſtrum *Ieſum Chriſtum* lapidem dici, cùm id in ſacris litteris frequentiſſimum ſit. Vt itaque propoſito inhæream, S. Hieronymus docet ſculpturam, ſeu cælaturam hanc eſſe vulnera, quæ Salvator noſter pro mundi ſalute in cruce paſſus eſt, quibus *abſtulit iniquitatem terræ in die unâ*, dierum omnium, quæ unquam orbi illuxerunt, optatiſſimâ.

Elegans omninò, & pretij infiniti hæc eſt divini illius lapidis cælatura, quam omnipotens Dei manus elaboravit; uti ipſe per Prophetam ſuum teſta-

teſtatur, *Ecce ego cælabo ſculpturam eius;* ut nihil divino iſti lapidi ad pretium, atque elegantiam deeſſe poſſit. Cùm autem ſculptura, ſeu cælatura eximium operi ornamentum addat, adorando *Chriſti Ieſu* corpori ornamento maximo fuiſſe ſacratiſſima quinque vulnera, nemo eſt qui dubitat, quando cælaturam illam ſervatam, & cælo ad dexteram ſuam repoſitam, voluit æternus Pater; non ſecus atque Statuarij illi, qui in ſculpturâ, vel cælaturâ excellunt, opus aliquod, in quod artem omnem ſuam exhauſerunt, loco domus ſuæ honoratiore collocant; omnium oculis obijciendum, ut appoſitè ac piè exclamet Franciſcus Ribera; *Quid in ipſo Chriſti corpore decentius, atque lucidius, quàm plagæ quinque, quæ meritò, etiam immortalis, habere voluit, ne ſplendore illo Beati carerent, qui ſiderum, ac ſolis lucem, pulchritudinemque longiſſimè ſuperat?* ut quemadmodum Varro cælum à cælando dictum ſcribit, quod varijs ſideribus cælatum ſit, non aliter *Hoc loco.*

&

& nos divinum Chriſti corpus cælum dicere par eſt, quinque ſuis, alijſque plagis, quaſi tot aſtris ſideribuſque cęlatum, à quibus empyreo ipſi cælo ingens pulchritudo, ſplendor atquę gloria accedit, uti alibi oſtendemus. Et tu Chriſtiane pia plagarum Domini, ſeu cælaturæ huius admirandæ conſideratione, per proſpera, per adverſa cæla animam tuam patientiâ, longanimitate, modeſtiâ, humilitate, alijſque virtutibus totidem veluti ſideribus, & cælum Deo, ac tibi eris, ſplendebiſque ornatu, ac fulgore tuo in perpetuas æternitates.

Verùm ad divinum lapidem noſtrum, *Ieſum*, ſacerdotem magnum revertamur, cui à diuinâ manu non unum acceſſit ornamentum; nam inſinuans Propheta quænam illa ſit cælatura, ait ſuper illum ſeptem fuiſſe oculos, de quibus variè ſancti Patres docent; Theophilus verò Raynundus noſter piè ſcribit præter quinque Domini vulnera, alia duo poſſe intelligi, ut ſeptem univerſim ſint, quæ ſeptem

Tract. de ſtigmat.

oculis

oculis in lapide apud Prophetam cælatis ſignificentur, quorum primum in Circumciſione, ſecundum in flagellatione, & coronatione, quando corpore toto vulnus unicum fuit, quinque reliqua cruci ſuffixus in manibus, pedibus, ac latere accepit & ex mortuis redivivis in corpore glorioſo ſervavit. Senſus ejuſdem videtur fuiſſe B. P. Franciſcus Borgia Societatis noſtræ III. Generalis, qui ſocios hortari ſolitus erat, ut ſepties quotidie in honorem ſeptē vulnerum Chriſti Filij Dei ſacrā Euchariſtiā ſalutarent. Ad hanc B. Borgiæ piam mentem, credo Theophilum Raynundum attendiſſe, quando ſeptem divini noſtri lapidis oculos, ſeptem Domini vulnera, jam memorata, eſſe voluit. Oculis iſtis miſericordiæ reſpiciat nos, uti Petrum, Dominus, ut egreſſi foras, fleamus amarè, & pijs, ac pœnitentibus lacrymis politiorem reddamus divini hujus lapidis, atque operis cælaturam, quam admirando prodigio concludo.

Lintzij, urbe Auſtriæ ſuperioris nobili,

Petrus Bizarus lib. unico de Admirabilibus.

nobili, Conventum Procerum Imperij dum ageret Carolus V. cuidam Ruſtico filius natus eſt ita ſanus, ac valens ut in eo nihil deſideraretur. Vixit dies omninò quatuordecim; at triduo toto, prius quàm vitâ fungeretur, ſudore maduit puer. In demortui autem manibus, pedibus, ac latere prodiderunt ſeſe ſtigmata, uti Chriſti vulnera depingi ſolent, in capite ſpinea corona excrevit, Cæſar audito hoc prodigio attonitus, nonnullos miſit, qui ejus veritatem explorarent, quam illi, ſe comperiſſe, retulerunt.

In quo conſidero egiſſe Deum, quod pictores magni, atque ſculptores ſolent; qui opera grandiora dum vendunt, in minora cogunt, ut ea ſibi ſervent, & his ſe, alioſque illorum conſpectu recreent, artemque ſuam commendent. Ita fecit Deus in grandiori divini hujus lapidis cælatura, quando vulneratum dilecti filij ſui corpus, in exiguum illius infantuli corpuſculum, velut in imaginem quandam minorem

Digitized by Google

norẽ contraxit, in illâ ſibi complacens, quaſi in digniſſimo omnipotentis miſericordiæ ſuæ opere, quod & cordibus, animiſque noſtris inſculptum cupit.

§ VIII.

Sanctæ Matris Eccleſiæ, & Summorum Pontificum pietas, ac veneratio erga Sacratiſſima quinque Vulnera Redemptoris.

POſt Deum, qui per Prophetas ſuos locutus eſt de adorandis dilecti filij ſui vulneribus, atque horum ſe appellavit cælatorem; erga eadem ſacroſancta hæc pignora pietatem ſuam commendat ſancta Mater Eccleſia, edocta à Deo, edocta ab ipſo Salvatore capite ſuo, qui ex mortuis ſuſcitatus in corpore ſuo glorioſo vulnera manuum, pedum, ac lateris retinens, ea mirum in modum honoravit, &

& à nobis honorari, coliq́ue voluit. In quo, exemplo nobis præivit Deipara, quæ primam illis pietatem debita adoratione, ac Materno oſculo exhibuit, quando prima à filio ex mortuis reſurgente viſitata fuit, uti ex Ruperto videbimus. Succeſſêre deinde Apoſtoli, qui in veneratione oſculiſq́ue ſacratiſſimorum horum pignorum, ut ſcribit Ludovicus de Ponte, Domino in cælos ſubituro, valedixerunt. Tantis itaque exemplis edocta Eccleſia Sacratiſſimis vulneribus Miſſam privatam, ſeu votivam conſcribi voluit, titulo, nunc quidem *de paſſione Domini*, ſed quæ olim *de quinque Domini plagis inſcribebatur*, cùm in hâc, Epiſtolâ de plagis manuũ ex Propheta Zacharia deſumpta ſit, Evangelium de lateris per lanceã aperturâ recitetur, Verſiculus ad *poſt communionem*, de foſſione manuum ac pedum pſalmo 21. diſertè meminerit: binæ verò orationes propitium nobis poſtulent Dominicum ſanguinem ex ſacris quinque vulneribus profuſum,

fuſum, quæ olim in quadratis quinque panniculis, ejuſdem cum caſula coloris, albæ & amictui aſſutis, repræſentabantur.

At digniſſimum obſervatu iudico, quod obſervat, & docet Innocentius III. Pontifex Maximus in Canone Miſſæ viginti quinque, hoc eſt, *Quinquies quinque cruces* (quot mihi ſunt Conſiderationes) tum ante, tum poſt Dominici Corporis, & Sanguinis conſecrationem fieri à Sacerdote, Eccleſiâ ab omni memoriâ id ſtatuente in honorem ſacratiſſimorum quinque Domini vulnerum, quod hæc ſint *acerbior*, ut ait Pontifex, & potior pars, ac *conſummatio* Paſſionis Dominicę, cuius auguſtiſſimum, ac diviniſſimum hoc ſacrificium *commemoratio* eſt, atque repræſentatio incruenta. Idem confirmat Stephanus Eduenſis Epiſcopus, qui vixit anno Domini 950. cùm ait, quinarium numerum, ſcilicet Crucis, fieri ſuper hoſtiam & calicem, *non ut eum, à quo omnis ſanctificatio eſt, ſanctificemus, ſed ut vulnera pendentis in cruce,*

Lib. 4. c. 11. de Myſt. Miſſæ.

Lib. 5. c. 1.

Tract. de Sacr. Altar. c. 17.

duo manuum, duo pedum, quintum lateris, flebiliter & devotè veneremur, quæ etiam ſacra quinque verba, quibus ſanctiſſimum Chriſti corpus conficitur, & numero ſuo, & potentia repræſentant, vulneratum Deum ac Salvatorē noſtrum in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio nobis ſiſtendo, uti Iovis ſancto die, dum ſacerdos ſacrum calicem elevaret, illi Chriſtum crucifixum inſiſtentem, & in eundem ex Sacroſanctis ſuis vulneribus ſanguinem copiosè profundentem, conſpexit B. Eliſabetha de Schonaugia ad Treviros Abbatiſſa.

In Revelat. eius.

Ut piè afficiatur anima, quæ in elevatione hoſtiæ ſacræ, ex manibus, pedibus, ac latere Domini meditatur, veluti ex totidem fontibus, in præſentes toto templo, atque in Catholicam Eccleſiam univerſam, Dominicum ſanguinem proſilire, ipſoque calice, quaſi ſacro aluco contentum, ſcaturigine quinâ in viventium ac mortuorum animas ſupereffluere.

Hanc Eccleſiæ piam mentem, quâ recolit, & recoli commendat in augu-

ſtiſſimo

Digitized by Google

ſtiſſimo Miſſæ ſacrificio adoranda vulnera ſua, approbavit Salvator ipſe, quando Dominicâ quâdam die Elevationis tempore, viſus eſt B. Angelæ de Fuligno, atque ſi tum primùm de cruce depoſitus in afflictiſſimæ matris ſinu conquieſceret, divinis ejus vulneribus recenti ſanguine copiosè fluentibus; cùm & vidit Angela plures à Salvatore ad ſe benignè invitari, ab ipſo amore magno complecti, ad ſacri lateris vulnus exoſculandum provocari, illi manu adhibitâ apprimi, magis, minuſque, pro ſingulorum meritis; nonnullos etiam totos in latus immitti ac ſacro ejus tincti cruore, alij labijs, alij facie totâ rubebant. Ita ſpectavit B. Angela, & docet quàm acceptum ſit Salvatori in Miſſæ ſacrificio ſacrorum ejus vulnerum piè recordari, & quæ ab his ſolatia expectanda ſint; nam ad illa præſtanda, ſemper ſe Dominus paratum benignè exhibet. *In vita eiuſdem.*

Hâc eadem conſideratione dubium non eſt, quin B.P.N. Franciſcus Borgia permotus fuerit, quando non

Digitized by Google

aliâ in Baſilicâ quàm in latere Salvatoris, nec alia in ora, quàm ſupra cor ejus diviniſſimũ Miſſæ ſacrificium videbatur offerre. In illo, dum ad *Memento*, quod appellamus, perveniſſet, in dextræ manus vulnere Summum Pontificem, Cardinales, Epiſcopos, Prælatos, Paſtores, ſtatum omnem Eccleſiaſticum, univerſæque Eccleſiæ neceſſitatem Deo commendabat. In vulnere ſiniſtræ manus orabat pro Imperatore, Regibus, omnique Magiſtratu, & ſtatu politico. In vulnere pedis dextri pro Religioſis Ordinibus omnibus, & ſingulariter pro commiſſa ſibi Societate; in vulnere verò ſiniſtri pedis pro conſanguineis, amicis, benefactoribus, & omnibus, qui ſe ejus precibus commendarant, Deum precabatur. Lateris vulnus ſibi ſervabat, in quod ipſe ſe recipiens, à divinâ miſericordiâ, vir humillimus, peccatorum ſuorũ veniam poſtulabat, & in neceſſitatibus omnibus auxilium. In hoc ſocios ſibi adlegebat Societatis adverſarios omnes, ut horum cordi-

bus

Digitized by Google

bus ſacro illo ſanguine emollitis, ad Dei, animarumque obſequium benevolentiores, ac commodiores nobis redderentur.

Verùm ne & purgantibus animabus deeſſet, ad ſecundum *Memento*, in vulnere dexteræ manus pro defunctis orabat, quibus ex lege obſtrictus erat Miſſæ ſacrificium Deo offerre; In vulnere manus ſiniſtræ, pro animabus Parentum, ac propinquorum; in vulnere pedis dexteri, pro defunctis in Societate, in ſiniſtri pedis vulnere, pro amicis, benefactoribus, & ſibi ſingulariter commendatis divinam bonitatem deprecabatur. Quinto denique in vulnere lateris, commendabat divinæ miſericordiæ animas derelictas, quarum nemo recordabatur; item animas quæ ſupra alias omnes, graviſſimè torquerentur; item illas quarum proxima erat liberatio; atque eas tandem in quarum liberatione, major caritas, & Dei gloria exiſteret. Ita cum Eccleſia in ſacro ſancto Miſſæ ſacrificio B. Borgia Domini vulnera recolebat.

Digitized by Google

Neque tantùm ſacris iſtis ritibus in venerando Miſſæ ſacrificio Eccleſia honorat, ac colit ſacratiſſima Domini vulnera, ſed etiam colenda, atque honoranda proponit, feria III. & Octavâ Paſchæ, & feſto S. Thomæ Apoſtoli die, quando pulpita omnia pignoribus iſtis adorandis reſonant, & Verbi Dei Præcones, divinis illis fontibus Auditorum ſuorum corda immergunt.

Eodem Eccleſiæ ſenſu, atque ſummorum Pontificum approbatione, Iulij II. Leonis X. ac Pauli V. circa annum Domini M. D. VI. & ſequentes, inſtituta Romæ, & confirmata eſt Archiconfraternitas ſanctiſſimi Sacramenti, & quinque vulnerum Domini, cui initium dederunt, numero obſervando, viri quinque (inter quos ſacerdos unus) pietate atque virtute eximij, qui in eam facultates omnes ſuas contulerunt, & pro ejuſdem ſigillo aſſumpſerunt ſanguine copioſo fluentia quinque Domini vulnera; ſuperpoſitâ coronâ Chriſti ſpineâ, calicem

cem ac hoſtiam ſacram ambiente, uti ex figurâ hac videre eſt.



Ex qua intelligamus numquam nos ſuavius, atque utilius, nunquam gratius Salvatori in divinâ illâ menſâ, ſacro ſancto ejus corpore, ac pretioſo ſanguine fruituros, quàm dum ſimul ſacris ejus vulneribus immergimur, & corda noſtra ſpineâ illius coronâ cingimus, graviſſimos, acerbiſſi-

Digitized by Google

mæ paſſionis ab ipſo pro ſalute noſtrâ toleratæ, cruciatus recolentes.

Cùm verò huius Archiconfraternitatis finis ſit, comitantium Sodalium luminumq́; frequẽtiâ, pro debita veneratione, ſacrum Domini corpus ad ægros, deferre; pio ſanè conſilio, viri illi quinque, iſti ſuæ Archiconfraternitati ſanctiſſimi Sacramenti, titulum ac devotionem quinque plagarum Domini iungi voluerunt; ut edocerent, nunquam nos felicius, quàm cum ſacro corporis Domini viatico, in ſacris ejus vulneribus morituros.

Quod uti rationibus ſuis æſtimavit P. N. Vincentius Carrafa, ita cùm primùm gubernandæ Societati vniverſæ præpoſitus fuit, fructu magno, diebus veneris per annum omnibus, Romæ in Profeſſæ Domus templo, Congregationem inſtituit pro felici morte, per ſacratiſſima quinque Domini vulnera à Deo impetrandâ, ad quam, uti ipſe non ſemel vidi, magnâ frequentiâ convenitur, & ardenti ſtudio varia pietatis exercitia, expoſito vene-

Digitized by Google

venerabili Sacramento, obeuntur; ut confidam non perituras animas, quæ tanto pietatis affectu ſalutaria quinque Salvatoris vulnera, colunt, ac venerantur.

Qui cultus Romę, Neapoli, & in alijs Italiæ urbibus uſitatiſſimus eſt, in quibus pro ſacrorum horum Pignorum honore eriguntur altaria, inſtituuntur quinque horarum preces, in publicâ neceſſitate indicuntur proceſſiones, qualem omnium Ordinum frequentia maxima, anno M. DC. IV. Sereniſſimus Mantuæ Dux Vincentius, indixit. Alibi etiam ante Christi in cruce pendentis imaginem lampades quinque, neque plures, neque pauciores, ſuſpenduntur.

Poſſevinus in Hiſt. Mant.

Ita fertilem ſuggerunt pietatem ſacratiſſima Domini vulnera, quorum cultum ac venerationem mirum in modum propagavit Innocentius VI. Pontifex Maximus, anno milleſimo trecenteſimo quinquageſimo quarto, quando poſtulante Carolo Imperatore, ejus nominis IV. feſtum

Henricus Spondan. in Hiſt. Eccleſ.

Lanceæ, Clavorum, ac quinque Domini Vulnerum, per Germaniam, ac Bohemiam inſtituit, primo die Veneris poſt Dominicam in Albis, celebrandum. Quam religionem, ac devotionem æmulatus eſt Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Princeps Ioannes Godefridus, Epiſcopus primùm Bambergenſis, deinde Herbipolenſis; qui amico ſuo, in familiari ſermone faſſus eſt, *à primis ſe annis ſemper dilexiſſe Salvatoris vulnera, ſibique bene fuiſſe, quando illorum recordaretur: non bene, dum obliviſceretur.* Quare ad Eccleſiæ Bambergenſis Epiſcopatum evectus, primas inter curas, hæc illi fuit, ut collapſum ſacrorum quinque Domini Vulnerum feſtum diem ad priſtinam Majorum pietatem revocaret, ac pleno Eccleſiæ Officio eum in finem conſcribendo, quotannis celebraret: quod ubi à Reverendiſſimo Hebronenſi Epiſcopo, Friderico Fornero, ſuo Bambergæ Suffraganeo, perfectum obtinuit, Romam ab Imperatore Matthia ad Paulum V. Pontificem Summum, miſſus

Fred Forn. in præf. Roſæ Pentaph.

miſſus, poſt confecta commiſſa ſibi à Cæſare negotia, quod maximè illi cordi erat, auguſtiſſimum ſacrorum Vulnerum negotium cum Sua Sanctitate tractandum ſuſcepit, eique Officium ſuo hortatu conſcriptum, obtulit, quod Pontificis mandato, ab Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo S. R. E. Cardinale Bellarmino examinatum, & probatum, Sanctitas ſua vivæ vocis oraculo ratum habuit; ac deinde à Gregorio XV. ſingulari diplomate fertur confirmatum. Sed vitâ priùs exceſſit optimus Præſul quàm potuerit tam pia deſideria complere. Succeſſit illi in Epiſcopatu Bambergenſi ac Herbipoenſi, & in pietatis erga ſacratiſſima Domini vulnera affectu, Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Princeps, Ioannes Georgius, qui in ſuâ Bambergenſi Eccleſiâ ſolemni ritu officium ſingulis diebus Veneris de paſſione, & vulneribus Domini, perpetuis deinceps duraturum temporibus, inſigni pietate reſtituit, decrevitque, ut clavi, quo Chriſtus cruci fuit fixus, fragmentum,

Digitized by Google

tum, à ſancto Henrico Imperatore illi Eccleſiæ donatum, ad publicam venerationem exponeretur, ut ſacro hoc pietatis invitamento, omnium animos ad honoranda Chriſti Domini vulnera potentiùs inſtigaret.

Feſtum itaque diem ſuum quotannis habent Lancea, Clavi, & Vulnera Domini, & habent non per Germaniam ac Bohemiam, ſed per alias etiam regiones, uti Henricus Spondanus ſcribit, & habere poſſe clarè ex Innocentij Decreto colligitur. Neque id mirum cuiquam videbitur, conſideranti Benedictum XI. anniverſaria ſolemnitate S. Franciſci ſtigmata celebrari voluiſſe, quam deinde Paulus V. ad Eccleſiam univerſam propagavit, ut corda fidelium in Chriſti crucifixi accenderentur amorem. Qui Pontifices Maximi atque Sapientiſſimi, ſi vulnera à Domino, ſervo ſuo impreſſa, colenda iudicarunt, ut affectu majore in ipſum vulneratum Dominum accenderemur, potiori ſanè jure Innocentij VI. deceſſoris ſui exemplo, ejuſdem

Breu. Rom. feſto l. ſtig. S. Fran.

Do-

Domini vulnera anniverſaria ſolemnitate celebrari probaverint, ut non ex rivis tantùm, ſed ex ipſis amoris fontibus, vulneribus, inquam, Salvatoris, amore & corde toto in vulneratum Dominum accendamur, Sanctos cæli omnes æmulantes, qui *Agno occiſo*, & vulnera ſua exhibenti, diem ſolemnem agunt, illi acclamantes, *Dignum eſſe qui accipiat virtutem, & divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem in ſæcula ſæculorum.* Apo. 5. v. 12.

Atque hæc ſatis ſint de venerabili, atque amabili feſto ſacratiſſimorum quinque Domini vulnerum, cujus ut Bruxellis fieret experimentum, quadraginta horarum preces pro felici armorũ regiorũ ſucceſſu in templo noſtro An. 1653. fuerunt inſtitutæ, quas ut à populo haberemus frequentiores, primus precum dies, pietati, ac cultu ſacratiſſimorum Domini vulnerum conſecratus fuit. Erat is primus veneris poſt Dominicam in Albis, quem Innocentius VI. clavis, lanceæ, ac vulneri-

neribus Domini ſacrum voluit. Verùm vnicus hic populo ſatis non fuit, ſed triduum totum ſolemne habuit, novâ erga ſacra hæc pignora veneratione, & principis aræ, ac templi ornatu evocatus. Hoc periſtromatis inſigni arte textis conveſtitum, luminibus varijs ſplendebat; illa, quotidiana ſubmota tabula, vineam repræſentabat, porticibus ſuis affabrè pictis vtrimque cinctam, Angeliſque inſeſſam Dominicæ paſſionis inſtrumenta geſtantibus, in cujus receſſu perſpectivè poſito, ſub cruce, torcularis figuram referente, premebatur Salvator, ex ſacris manibus, pedibus, ac latere ſanguinem in ſubjectum vas copioſè profundens, hac Epigraphe, *Torcular calcavi ſolus.* Supernè è nube lumine tremulo radiante Salvatorem torculari preſſum deſpectabat æternus Pater hac voce: *Hic eſt filius meus dilectus.* Argumentum erat concitandæ pietatis peropportunum. In altaris ſummo vertice, ſpectabili octo pedum altitudine ſtabat tabula ſacra Domini vulnera

Iſa.63.v.3

Luc. 9. v. 35.

nera proponens, figura ellyptica, lampadibus, totidem velut ſtellis, circumcincta, quibus, ut minimum ſeptingentis, varia, ordinataque ſerie per aræ columnas aliaſque ejus partes diſpoſitis, ſpectaculum perquam gratum faciebant Civitati, atque Aulæ univerſæ. His accedebant Officia divina, magna ſolemnitate peracta, faciente Reverendo admodum Domino Auguſtino Wighmans ex D. Norberti ordine Abbate Tongerloano, conciones Hiſpano, & Belgico idiomate magno concurſu & fructu dictæ, SS. Sacramentorum frequentia erat ſingularis. Quibus incitamentis mira omnium animis inſedit erga ſacra Domini vulnera pietas, atque æſtimatio, ut coronulas, quæ de his paratæ erant, plurimi eruerent, dolerentque non ſanguineis calculis eſſe cõpoſitas; pietatem eandem teſtantes, cùm triduo toto è cera virgine candelas ad horum numerum, ante aram principem plurimi accenderent.

Unica Sereniſſimi Archiducis Leopoldi

poldi Guilielmi, Belgij, ac Burgundiæ pro Rege Catholico Gubernatoris, ſolēnitati huic præſentia defuit morbo impediti, juſſit tamen adeſſe ſuos, quos ex Italia evocavit Muſicos, hortatuſque nos eſt, pro ſua in ſacra omnia pietate, ut ad diem illum amabilem ſolemniter omnia appararemus. Atque ita datum principiũ Bruxellis deſideratæ à multis venerationi ſacratiſſimorum quinque Domini vulnerum, quam uti ſpero hîc quotannis continuandam, ita & à Provincia univerſa probandam & amplectendam Innocentij VI. Pontificis Maximi conceſſione variarumque regionum exemplo provocata. Nam ſi veneranda ſancti ac Seraphici Patris ſui Franciſci Stigmata per Benedictum XI. & Paulum V. Pontifices Maximos licitum eſt filijs ejus recordatione, ac ſolemnitate annua colere, & populo colenda proponere; confido non reprehendendos nos IESV ſocios, ſi IESV Ducis, Salvatoris, ac Dei noſtri adoranda vulnera, ex anti-

qua

qua Innocentij VI. Pontificis Maximi pro Bohemia, & Germania Conſtitutione, veneremur & populo quotannis veneranda proponamus: Ut cum magno Gregorio *adinſtar columbæ in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, dum ipſa manuum, pedum, ac lateris Domini vulnera ad memoriam revocamus, in ÿſdem nutrimentum, quo convaleſcat anima noſtra, inveniamus.* In cap. Cant. 2.

§. IX.

Sanctorum Virorum, ac Servorum Dei erga vulnera Domini pietas, & veneratio.

SVmmos Pontifices uti dignitate, ita in vulnera Salvatoris pietate ſequantur ſanctiſſimi, atque Eminentiſſimi Principes, S. R. E. Cardinales. *Locutus eſt*, inquit Scriptura ſacra, 3. Reg. c. 4 *Salomon tria millia parabolas; & fuerunt carmina eius quinque millia, & diſputauit*

E *ſuper*

Digitized by Google

ſuper lignis. In quæ verba ait B. Petrus Cardinalis Damianus, *locum hunc vero noſtro Salomoni conuenire, qui tot verſus compoſuit, quot nobis reliquit documenta: quia ſuper ſua arbore, quæ inſtar multarum erat, docuit tamquam ex cathedrâ. Fuerunt carmina illius quinque millia, ait Scriptura; ubi præſto ſubiungitur; quia diſputavit etiam ſuper lignis: quæ ſcilicet Redemptori noſtro non ambigo cuncta competere, cuius carmina quinque millia ſunt, quia quinque ſunt vulnera Dominici Corporis, quibus, quaſi quinque carminum millibus, per vniverſum orbem triumphales ejus victoriæ celebrantur.*

Lib. 7. n. Ep. 50.

Itaque, ut ex B. Damiano didicit Balthazar de Paez, pius admodum ex ordine SS. Trinitatis, Redemptionis captivorum, & doctus ſcriptor, quinque millia carminum, quæ noſter Salomon fecit, & docuit in cathedra auguſtali crucis, ſunt myſteria quinque vulnerum, quæ in illa pertulit: quorum quodlibet continet mille propoſitiones, aut myſterioſas concluſiones, quæ omnes ſpectant ad ejus gloriam,

riam, & triumphum, quem ſuis vulneribus promeritus eſt, quibus tanquam tot vocibus, *carmina illa quinque millia* concinuntur, & inſtrumentis muſicis concurrentibus, vt cum S. Auguſtino ex Propheta regio loquar, *in decachordo pſalterio, cum cantico & cithara,* nam illud in ſuperioribus, hæc in fidibus inferioribus pulſatur, in illarum ſuper lignum extenſione, extenſus in Crucis ligno Salvator repræſentatur; *quem in diuinâ carne operante, pſalterium, in humanâ verò patiente, citharam* vult eſſe Auguſtinus, quando ait; *ſonet pſalterium?* addam ego *carminum quinque millia* veri Salomonis, Saluatoris glorioſa facinora ſonet, inquam, pſalterium bis quinis vocale fidibus; *Illuminentur cæci, audiant ſurdi, ſtringantur paralytici, ambulent claudi, ſurgant ægroti, reſurgant mortui.* Ecce pſalterij vocem, carnis ſcilicet divinæ omnipotenti manu fides pulſantis ſuperiores. *Sonet & cithara* fidibus inferioribus, caro inquam humana Salvatoris, *Eſuriat, ſitiat, dormiat, tentetur, flagelletur, ſpinis coronetur, crucifi-*

In Pſal. 91. v. 4.

Digitized by Google

gatur, Sonet vox hæc pſalterij, & citharæ in auribus, & cordibus noſtris, & in vtroque intercinentibus ſacris, ac vocalibus quinque Domini vulneribus myſteriosas ejus concluſiones cælo, terræque decantent. Hîc ſiſto, quò me abripuit B. Damiani in vulnera Domini pietas, & in operantem divina, atque humana patientem, S. Auguſtini ingenioſa ſuavitas.

Cujus etiam illuſtre exemplũ dedit D. Bonaventura S. R. E. Cardinalis, qui ſacra Domini vulnera quantopere habuerit in delicijs videbimus ſæpius. Ita ipſe modò ingenioſa & eloquenti devotione: *Domine*, inquit *Ieſu, pro me feciſti cælum & ſolem; lunam & ſtellas; ignem & aërem; aquam & terram; aves & piſces; beſtias & reptilia; arbores & flores; herbas & olera; aurum & argentum; & lapides pretioſos. Sed quis de manibus tuis quæſivit hæc? ſine petitione, ſine inſtantiâ hæc omnia nobis dediſti? & totâ die affligo animam meam, petendò ignominioſiſſimam mortem tuam, ut hanc comprehendam, huic* *P. 1. ſtim. c. 15.*

compa-

compatiar, hanc imiter, huic conformer; & vix poſſum aliquam guttulam impetrare. Scias Domine Ieſu, quia omnia viſibilia mihi vileſcunt, quæ univerſa tibi reſtituo; ſed da mihi vulnera tua. Hæc ſuper cælum habilitant cor meum; ſuper ſidera refulgent, & illuminant intellectum meum; ſuper terram ſtabiliunt voluntatem meam; ſuper ignem accendunt affectũ meum; ſuper aërem fœcundant ſermonem meum; ſuper aquam emolliunt animam meam. Hæc avibus, beſtijs, ac piſcibus utiliora, fructibus ſuaviora, arboribus ac floribus amæniora, auro, argento, lapide pretioſo pretioſiora. Da mihi itaque Domine tantùm Vulnera tua, & omnia dederis. Ita ad Sacratiſſima hæc pignora anhelabat, ita ea venerabatur D. Bonaventura, qui ex illorum meditatione aſſurgens, videbatur ſibi omnia, quæ oculis obijciebantur, ſanguinea, & Domini Ieſu cruore aſperſa conſpicere.

S. Bonaventuræ purpuræ, purpuratum ſæculi hujus Patrem ſubnecto; quem non ſemel cruor proprius, recolentem Domini paſſionem, ac vulne-

Barthol. fixen in flor. Ecclef. Leod. 16. Ian.

At miranda magis quàm imitanda, erga Domini vulnera fuit pietas Petri, Religioſi Laici Abbatię Villarienſis in Brabantia Gallicana. Manus ille ſibi pedeſq́ue perforavit; latus verò aperuit candenti ferro, & ne vulnus coiret, contextum è ſetis equinis funem in illud immiſit, ut ſervus Domino ſuo quàm ſimillimus, Domini ſui, quà licet, vulnera, ræpreſentaret, eorumq́ue dolorem, nunquã non perſentiſceret.

Vitel. 1. cap. 17.

Excelluit etiam hac in pietate beatus Aloyſius Gonzaga, Societatis noſtræ; de quo memorat Virgilius Ceparius, quòd cùm anno partæ ſalutis octogeſimo primo ſupra milleſimum, quingenteſimum, unà cum parente Ferdinando Marchione Caſtilionenſi in Hiſpaniam proficiſceretur, & in maris littore deambularet, ac ſanctiſſima quinque Chriſti Ieſu vulnera contemplans, duriſſima quæque pro Salvatoris ſui obſequio, pati deſideraret, eum inter arenas, & maris eiectamenta, lapillum inveniſſe, in quo quinque Domini vulnera affabrè ſculpta,

magna

Digitized by Google

magna luce refulgebant, quem *ſuper aurum, & topazium*, reliquo vitæ ſuæ decurſu, dilexit, & aſſervavit, aſperrimo vitæ genere Crucem Domini ad mortem vſque ſecutus.

Sebaſtianus Tuccius Societatis noſtræ Sacerdos (quem morti proximum cùm anno 1597. Clemens VIII. Pontifex Maximus ſingulari gratiâ inviſiſſet, ſe virum ſanctum vidiſſe dixit) noctibus ſingulis peculiari aliquo cruciatu manus, pedes, ac latus ob ſacrorum vulnerum Domini reverentiam, grauiter affligere erat ſolitus. *Hiſt. col. Rom.*

Cæpi à Carolo Imperatore, finio in Carolo Principe, Comite Flandriæ, S. Canuti Daniæ Regis filio. Is tanto Patre digna ſoboles, ſingulis per annum diebus, ob venerationem cruentorum quinque Domini vulnerum, pauperes quinque veſtiebat, eâ mente ac deſiderio; vt ſanguine Domini inſigniri & quaſi veſtiri mereretur. Quod ex voto ſuo conſecutus eſt, dum iuſtitiam atque pauperes propugnans, à ſubditæ ſibi vrbis ciue trucidatus, ſpe- *Paul. Bar. in an. Sac. p. 1. c. 8. & 12.*

 cioſiùs

neribus Domini ſacrum voluit. Verùm vnicus hic populo ſatis non fuit, ſed triduum totum ſolemne habuit, novâ erga ſacra hæc pignora veneratione, & principis aræ, ac templi ornatu evocatus. Hoc periſtromatis inſigni arte textis conveſtitum, luminibus varijs ſplendebat; illa, quotidiana ſubmota tabula, vineam repræſentabat, porticibus ſuis affabrè pictis vtrimque cinctam, Angeliſque inſeſſam Dominicæ paſſionis inſtrumenta geſtantibus, in cujus receſſu perſpectivè poſito, ſub cruce, torcularis figuram referente, premebatur Salvator, ex ſacris manibus, pedibus, ac latere ſanguinem in ſubjectum vas copio-
Iſa. 63. v. 3 sè profundens, hac Epigraphe, *Torcular calcavi ſolus.* Supernè è nube lumine tremulo radiante Salvatorem torculari preſſum deſpectabat æternus Pater
Luc. 9. v. 35. hac voce: *Hic eſt filius meus dilectus.* Argumentum erat concitandæ pietatis peropportunum. In altaris ſummo vertice, ſpectabili octo pedum altitudine ſtabat tabula ſacra Domini vulnera

nera proponens, figura ellyptica, lampadibus, totidem velut ſtellis, circumcincta, quibus, ut minimum ſeptingentis, varia, ordinataque ſerie per aræ columnas aliaſque ejus partes diſpoſitis, ſpectaculum perquam gratum faciebant Civitati, atque Aulæ univerſæ. His accedebant Officia divina, magna ſolemnitate peracta, faciente Reverendo admodum Domino Auguſtino Wighmans ex D. Norberti ordine Abbate Tongerloano, conciones Hiſpano, & Belgico idiomate magno concurſu & fructu dictæ, SS. Sacramentorum frequentia erat ſingularis. Quibus incitamentis mira omnium animis inſedit erga ſacra Domini vulnera pietas, atque æſtimatio, ut coronulas, quæ de his paratæ erant, plurimi eruerent, dolerentque non ſanguineis calculis eſſe cōpoſitas; pietatem eandem teſtantes, cùm triduo toto è cera virgine candelas ad horum numerum, ante aram principem plurimi accenderent.

Unica Sereniſſimi Archiducis Leopoldi

poldi Guilielmi, Belgij, ac Burgundiæ pro Rege Catholico Gubernatoris, ſolēnitati huic præſentia defuit morbo impediti, juſſit tamen adeſſe ſuos, quos ex Italia evocavit Muſicos, hortatuſque nos eſt, pro ſua in ſacra omnia pietate, ut ad diem illum amabilem ſolemniter omnia appararemus. Atque ita datum principiũ Bruxellis deſideratæ à multis venerationi ſacratiſſimorum quinque Domini vulnerum, quam uti ſpero hîc quotannis continuandam, ita & à Provincia univerſa probandam & amplectendam Innocentij VI. Pontificis Maximi conceſſione variarumque regionum exemplo provocata. Nam ſi veneranda ſancti ac Seraphici Patris ſui Franciſci Stigmata per Benedictum XI. & Paulum V. Pontifices Maximos licitum eſt filijs ejus recordatione, ac ſolemnitate annua colere, & populo colenda proponere; confido non reprehendendos nos IESV ſocios, ſi IESV Ducis, Salvatoris, ac Dei noſtri adoranda vulnera, ex anti-

Digitized by Google

qua Innocentij VI. Pontificis Maximi pro Bohemia, & Germania Conſtitutione, veneremur & populo quotannis veneranda proponamus: Ut cum magno Gregorio *adinſtar columbæ in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, dum ipſa manuum, pedum, ac lateris Domini vulnera ad memoriam revocamus, in ijſdem nutrimentum, quo convaleſcat anima noſtra, inveniamus.* In cap. Cant. 2.

§. IX.

Sanctorum Virorum, ac Servorum Dei erga vulnera Domini pietas, & veneratio.

SVmmos Pontifices uti dignitate, ita in vulnera Salvatoris pietate ſequantur ſanctiſſimi, atque Eminentiſſimi Principes, S. R. E. Cardinales. *Locutus eſt*, inquit Scriptura ſacra, 3. Reg. c. 4 *Salomon tria millia parabolas; & fuerunt carmina eius quinque millia, & diſputauit*

Digitized by Google

ſuper lignis. In quæ verba ait B. Petrus Cardinalis Damianus, *locum hunc vero noſtro Salomoni convenire, qui tot verſus compoſuit, quot nobis reliquit documenta: quia ſuper ſua arbore, quæ inſtar multarum erat, docuit tamquam ex cathedrâ. Fuerunt carmina illius quinque millia, ait Scriptura; ubi præſto ſubiungitur; quia diſputavit etiam ſuper lignis: quæ ſcilicet Redemptori noſtro non ambigo cuncta competere, cuius carmina quinque millia ſunt, quia quinque ſunt vulnera Dominici Corporis, quibus, quaſi quinque carminum millibus, per univerſum orbem triumphales ejus victoriæ celebrantur.*

Lib. 7. n. Ep. 50.

Itaque, ut ex B. Damiano didicit Balthazar de Paez, pius admodum ex ordine SS. Trinitatis, Redemptionis captivorum, & doctus ſcriptor, quinque millia carminum, quæ noſter Salomon fecit, & docuit in cathedra auguſtali crucis, ſunt myſteria quinque vulnerum, quæ in illa pertulit: quorum quodlibet continet mille propoſitiones, aut myſterioſas concluſiones, quæ omnes ſpectant ad ejus gloriam,

riam, & triumphum, quem ſuis vulneribus promeritus eſt, quibus tanquam tot vocibus, *carmina illa quinque millia* concinuntur, & inſtrumentis muſicis concurrentibus, vt cum S. Auguſtino ex Propheta regio loquar, *in decachordo pſalterio, cum cantico & cithara,* nam illud in ſuperioribus, hæc in fidibus inferioribus pulſatur, in illarum ſuper lignum extenſione, extenſus in Crucis ligno Salvator repræſentatur; *quem in diuinâ carne operante, pſalterium, in humanâ verò patiente, citharam* vult eſſe Auguſtinus, quando ait; *ſonet pſalterium?* addam ego *carminum quinque millia* veri Salomonis, Saluatoris glorioſa facinora ſonet, inquam, pſalterium bis quinis vocale fidibus; *Illuminentur cæci, audiant ſurdi, ſtringantur paralytici, ambulent claudi, ſurgant ægroti, reſurgant mortui.* Ecce pſalterij vocem, carnis ſcilicet divinæ omnipotenti manu fides pulſantis ſuperiores. *Sonet & cithara* fidibus inferioribus, caro inquam humana Salvatoris, *Eſuriat, ſitiat, dormiat, tentetur, flagelletur, ſpinis coronetur, crucifigatur,*

In Pſal. 91. v. 4.

gatur, Sonet vox hæc pſalterij, & citharæ in auribus, & cordibus noſtris, & in vtroque intercinentibus ſacris, ac vocalibus quinque Domini vulneribus myſterioſas ejus concluſiones cælo, terræque decantent. Hîc ſiſto, quò me abripuit B. Damiani in vulnera Domini pietas, & in operantem divina, atque humana patientem, S. Auguſtini ingenioſa ſuavitas.

Cujus etiam illuſtre exemplũ dedit D. Bonaventura S. R. E. Cardinalis, qui ſacra Domini vulnera quantopere habuerit in delicijs videbimus ſæpius. Ita ipſe modò ingenioſa & eloquenti devotione: *Domine*, inquit *Ieſu, pro me feciſti cælum & ſolem; lunam & ſtellas; ignem & aërem; aquam & terram; aves & piſces; beſtias & reptilia; arbores & flores; herbas & olera; aurum & argentum; & lapides pretioſos. Sed quis de manibus tuis quæſivit hæc? ſine petitione, ſine inſtantiâ hæc omnia nobis dediſti? & totâ die affligo animam meam, petendò ignominioſiſſimam mortem tuam, ut hanc comprehendam, huic*

P. 1. ſtim. c. 15.

compa-

compatiar, hanc imiter, huic conformer; & vix poſſum aliquam guttulam impetrare. Scias Domine Ieſu, quia omnia viſibilia mihi vileſcunt, quæ univerſa tibi reſtituo; ſed da mihi vulnera tua. Hæc ſuper cælum habilitant cor meum; ſuper ſidera refulgent, & illuminant intellectum meum; ſuper terram ſtabiliunt voluntatem meam; ſuper ignem accendunt affectū meum; ſuper aërem fæcundant ſermonem meum; ſuper aquam emolliunt animam meam. Hæc avibus, beſtijs, ac piſcibus utiliora, fructibus ſuaviora, arboribus ac floribus amæniora, auro, argento, lapide pretioſo pretioſiora. Da mihi itaque Domine tantùm Vulnera tua, & omnia dederis. Ita ad Sacratiſſima hæc pignora anhelabat, ita ea venerabatur D. Bonaventura, qui ex illorum meditatione aſſurgens, videbatur ſibi omnia, quæ oculis obijciebantur, ſanguinea, & Domini Ieſu cruore aſperſa conſpicere.

S. Bonaventuræ purpuræ, purpuratum ſæculi hujus Patrem ſubnecto; quem non ſemel cruor proprius, recolentem Domini paſſionem, ac vulne-

Philip. Alegambe in Bibliotheca.

ra, purpuravit. Alexander is eſt Vrſinus, nobiliſſimâ Romanos inter Principes familiâ, qui æneam crucifixi Salvatoris effigiem, clavorum cuſpidibus aſperam, ad nudum pectus gerens, eam manu ſæpius admotâ, non ſine vulnere, ac ſanguine, apprimebat. Ita cum Apoſtolo *Stigmata Domini Ieſu, non in corde tantùm, ſed & in corpore ſuo portabat* pius æquè, ac magnus Alexander.

Gal. c.6. v. 17.

Alexandro ſuccedat Ludovicus Abbas Bloſius, qui ait, *vel unicam humilem, atque amoroſam converſionẽ ad dulcia vulnera a Salvatoris, ipſi gratiorem eſſe, quàm ſit omnis vocum, ſonorumque muſicorum harmonia, ac ſuavitas.*

Inſtit. Spir. cap. 6.

Narrat vir venerabilis Ludolphus Dominum magno Dei ſervo, ſacris vulneribus ſuis luculenter inſignitum, apparuiſſe, eique affirmaſſe, nullum ſibi gratius obſequium ab hominibus exhiberi poſſe, quàm ſi ſacratiſſima ejus vulnera ſemper in memoria foveant, eaque ſingulari aliquo pietatis exercitio venerentur.

Vita Chriſti pag. 2. cap. 18.

Quod peregit B. Vbertinus de Caſali

ſali, è S. Franciſci Ordine, vir religio-ſiſſimus, ac doctiſſimus; qui dicere ſolitus erat, ſingulis diebus Veneris, non aliud ſe mente volvere, quàm clavos, ſpinas, & crucem Domini, neque ſe cibo alio animum paſcere, quàm ſanguine, ac vulneribus Salvatoris. Beati, qui ſic eſuriunt, & ſaturantur.

Anony. in libel. Ital. de paſſ. Dō.

Ita eſuriebant, ita & epulati, ac ſaturati ſunt Marcus, & Marcellianus fratres, Nobiles Romani, qui anno Chriſti ducētesſimo octogeſimo quinto, Diocletiano Eccleſiam Dei perſequente, pedibus clavis confixis ad ſtipitem alligati, cùm eos hortaretur Fabianus Iudex, ut reſipiſcerent, & Deorum cultu, pœnis ſe iſtis eriperent, reſponderunt; *Nunquam ſe in vitâ tàm iucundè epulatos eſſe, quàm hæc libenter Ieſu Chriſti cauſâ perferrent, in cujus amore jam fixi eſſe cœperant.* Lãcea deinde latus utrique transfoditur, quo omne illis gaudium adimplebatur, quod configurati vulneribus Salvatoris, in terris, eorundem in cælis efficerentur cultores æterni.

Barth. Fizen in Flor. Eccleſ. Leod. 16. Ian.

Barthol. fixen in flor. Eccleſ. Leod. 16. Ian.

At miranda magis quàm imitanda, erga Domini vulnera fuit pietas Petri, Religioſi Laici Abbatię Villarienſis in Brabantia Gallicana. Manus ille ſibi pedeſque perforavit; latus verò aperuit candenti ferro, & ne vulnus coiret, contextum è ſetis equinis funem in illud immiſit, ut ſervus Domino ſuo quàm ſimillimus, Domini ſui, quà licet, vulnera, ræpreſentaret, eorumque dolorem, nunquã non perſentiſceret.

Vitæl. 1: cap. 17.

Excelluit etiam hac in pietate beatus Aloyſius Gonzaga, Societatis noſtræ; de quo memorat Virgilius Ceparius, quòd cùm anno partæ ſalutis octogeſimo primo ſupra milleſimum, quingenteſimum, unà cum parente Ferdinando Marchione Caſtilionenſi in Hiſpaniam proficiſceretur, & in maris littore deambularet, ac ſanctiſſima quinque Chriſti Ieſu vulnera contemplans, duriſſima quæque pro Salvatoris ſui obſequio, pati deſideraret, eum inter arenas, & maris eiectamenta, lapillum inveniſſe, in quo quinque Domini vulnera affabrè ſculpta,

magna

Digitized by Google

magna luce refulgebant, quem *ſuper aurum, & topazium*, reliquo vitæ ſuæ decurſu, dilexit, & aſſervavit, aſperrimo vitæ genere Crucem Domini ad mortem vſque ſecutus.

Sebaſtianus Tuccius Societatis noſtræ Sacerdos (quem morti proximum cùm anno 1597. Clemens VIII. Pontifex Maximus ſingulari gratiâ inviſiſſet, ſe virum ſanctum vidiſſe dixit) noctibus ſingulis peculiari aliquo cruciatu manus, pedes, ac latus ob ſacrorum vulnerum Domini reverentiam, grauiter affligere erat ſolitus. *Hiſt. col. Rom.*

Cæpi à Carolo Imperatore, finio in Carolo Principe, Comite Flandriæ, S. Canuti Daniæ Regis filio. Is tanto Patre digna ſoboles, ſingulis per annum diebus, ob venerationem cruentorum quinque Domini vulnerum, pauperes quinque veſtiebat, eâ mente ac deſiderio; vt ſanguine Domini inſigniri & quaſi veſtiri mereretur. Quod ex voto ſuo conſecutus eſt, dum iuſtitiam atque pauperes propugnans, à ſubditæ ſibi vrbis ciue trucidatus, ſpe- *Paul. Bar. in an. Sac. p. 1. c. 8. & 12.*

 cioſiùs

cioſiùs Martyrii, quàm principatus ſui purpurâ fulſit.

Inſtitut. Spin. c. 6. Atque hi ſunt de quibus appoſitè ſanè ad rem noſtram Ludouicus Bloſius; *Meritò ſingulares Dei amicos, etiam ſanguineis lacrymis deflere debere, quod hodie, in toto terrarum orbe, ita præcellentiſsima Christi vulnera in oblivionem abierint*. Nã ſi rediuiuus Saluator illa in corpore ſuo glorioſo ſervata voluit, cœloq; invexit, ut his veluti monitoribus æternùm noſtri eſſet memor, ſanè ęquiſſimum eſt, ut nulla dies eorumdem in animis noſtris, dum exiguo hoc tempore vivimus, memoriam deleat, ſed cum Propheta dicamus: *Domine, nomen tuum*, Ieſu ſcilicet ſuaviſſimum, *Iſa. c. 28. v. 8.* *& memoriale tuum*, vulnerum ſcilicet tuorum præcellentiſſimorum, *in deſiderio*, & gratiſſimâ *animæ meæ* eſſe debent recordatione. Quod pio & eleganti verſu monet ille è Societate noſtræ;

Sidronius de Hoſſche eleg. de vuln. Dom.

Redde vicem meritis; quæris, quo munere poſsis?
Aut quid, qui gratum te cupit eſſe, velit?

Non

Non petit ut clavis ſcindi palmaſque, manuſque,
Tempora nec ſpinis, ut patiare, fodi.
Non ut flagra tuos lacerent immaniter artus,
Perque tuum ſtridens tranſeat haſta latus.
Plagarum tantùm te vult meminiſſe ſuarum.
Quis minor eſt autem, quàm meminiſſe labor.
Hoc ſatis eſt illi, ſi tu, quæ vulnera pro te
Saucius ipſe gerit corpore, mente geras.

§. X.

Eadem pietas Sanctarum, & Servarum Dei.

AGmen hoc ſacrum ducet ſancta Margareta è divi Dominici Parthenone, Belæ ac Mariæ Hungariæ Regũ filia, quę nunquã orationi vacabat, niſi propoſito ſibi ob oculos IESV cruci- *Bar. ibid.*

crucifixo; ab ea nunquam recedebat, niſi prius magno pietatis ſenſu, ſacros Domini pedes, deinde manus, demum latus oſculata fuiſſet; varijs diebus (uti illam impellebat pietatis varietas) modò hoc, modò illud vulnus ſibi domicilium eligens. Atque ita ſacrorum Domini vulnerum memor Margareta, indies amoris ejus jaculis vulnerabatur, uti S. Mechtildi Salvator promiſit.

Barri ibid. Reuel. l. 1. cap. 29. B. Maria de Incarnatione, Carmeliſſa Diſcalceata, cellulâ ſuâ nunquam egrediebatur, niſi Domini Ieſu vulneribus oſculum priùs dediſſet: in illam regrediebatur nunquam, niſi ijſdem oſculum referret; quâ ſuaviſſimâ conſuetudine, magnos in amore Salvatoris ſui, atque in omni virtute progreſſus fecit; nullum cellulæ ſuæ ornamentum aliud cupiens, vel etiam parans, quàm Ieſum ſuum, & hunc Crucifixum.

Bar. ibid. Venerabilis Maria de Arbouze, Vallis-gratiæ Dei, in Galliis, Ordinis D. Benedicti Abbatiſſa, in colendis ſacris,

Domi-

Digitized by Google

Domini vulneribus piè admodum, atque humiliter ſollicita, præ reliquis pedum vulnera venerabatur, iiſque crebra oſcula figebat: Monita, ut ſeſe etiam, oſculumque attolleret ad manus, & latus Salvatoris ſui, reponebat; peccatrices, inter quas ſe maximam cenſebat, non niſi ad pedes Ieſu cum Magdalena debere advolvi, vel cum eadem, alteraque Maria, vti narrat S. Mathæus, ipſo Reſurrectionis die Salvatori redivivo occurrentibus, eoſdem pedes glorioſos manu apprehendere, ac tenere, & ſacra in iiſdem vulnera, piè venerari, ac deoſculari reverenter. Cap. 28. v. 9.

Beata Agnes de Monte Politiano, è D. Claræ familiâ, omni die, opus ſuum omne in honorem Dominicę paſſionis peragegat; tantò autem pietatis ſenſu, tantaque lacrymarum vi, ſacroſancta Domini vulnera recolebat, vt eæ per genas, ob acrimoniam ſulcos ducerent. Novē annorū adoleſcentula Monaſterio ſe conſecravit, in quo ſæpiùs ad crucifixi Salvatoris pedes, qui S. Iure in l. Elect. ex eius vita.

in

in templi odeo conſiſtebat, ab Angelo deferri viſa fuit, quos exoſculata, ad Salvatoris latus ſeſe erigebat, illicque labella admovebat, tantâ ſuavitate, ut è virgunculæ vultu appareret; cùm ab Angelo loco ſuo reſtitueretur, quanta è divino illo fonte ſolatia hauſiſſet.

Theoph. Raynan. in S. Brunone ſ. 10. §. 3. Beatrix erit nobis hac in pietate exemplum, non quod imitemur, ſed admiremur. Vixit anno trecenteſimo ſupra milleſimum in Gallia, divi Brunonis alumna. Manus illa ſibi perfoderat, vt vulnerato Domino, ea in parte conformis eſſet. Cùm autem vulnera hæc cicatricibus obducerentur, ea, ſingulis diebus Veneris, clavo ferreo aperiebat. Quam Beatricis devotionem tantoperè probavit Salvator, vt ſe illi vulneribus patẽtibus, & ſanguine fluentibus ſpectandum exhibuerit, multiſque gratiæ divinæ donis animam eius cumulaverit. Sit nobis exemplo Beatrix non vt manus, pedeſque perforemus, ſed ſi acerbum quid, adverſumque patiendum nobis, faciẽdúmve contigerit, id omne in honorem

norem ſacratiſſimorum Domini Ieſu vulnerum, æquis animis toleremus.

Atque hæc eſt (ut Gertrudes, Mechtildes, aliaſque non commemorem, de quibus alibi abundè) Sanctarum, & ſervarum Dei pietas, quâ ſacra Chriſti Ieſu vulnera veneratæ ſunt; &, veluti *columba in foraminibus petræ*, ita animæ illæ in divinis hiſce vulneribus nidificantes, uti ait B. Petrus Cardinalis Damianus, *Illic fœtus bonorum operum coacervarunt.*

§. XI.

Modus ſuavis, & expeditus, quo & nos Domini vulnera venerari poſſumus.

SAlvator noſter ſanctæ Mechtildi aperuit, non minori ſe lætitiâ affici, dum quis vulnera ſua honorat, quocunque licet pietatis obſequio, quàm is qui diu optatam, ac quęſitam rem tandem aliquando conſequitur. *Lib. 4. grat. ſpir. c. 25.*

At

At quando commodiùs atque ſuaviùs ſacrorum Domini Ieſu vulnerum recordabimur, eademq́ue venerabimur, niſi dum, uti ſanctus Cyprianus ait, illa veluti *tot ubera de cœlo plena*, in ſumptione corporis Domini, *ſugimus, & animam noſtram pretioſo Ieſu ſanguine purpuramus, in quo exiſtit religioſa hujus potus ebrietas, per quam excedimus Deo, & quæ retro ſunt, obliti, ad anteriora extendimur.* Et piè S. Chryſoſtomus ait, nos, *ut ſpiritus gratiam trahamus*, eo deſiderio, ſeu *piâ aviditate*, in communione ſacra, debere adhærere vulneribus Domini, quæ *ubera vocat poculi ſpiritualis*, quâ matrum uberibus infantes inhęrent.

Serm. de cœn. Dom.

Hom. 83. in Matth.

Ita S. Catharina Senenſis aiebat non aliter ſe ad ſumendum ſacratiſſimum Domini Corpus accedere, in eoq́ue ſacris eius vulneribus frui, quàm dum infantula ad matris vbera anhelabat, ijſq́ue inhærebat. Paſcebatur ſcilicet ſanctiſſimis vulneribus, veluti à totidem vberibus; ita vt quotidiana Corporis Dominici communione refecta

Alphon. Rod. p. 2. Trac. 8. c. 6.

refecta, à ſacro Cinerum die, ad Salvatoris uſque in cælum aſcenſum, alio omni cibo, prodigio inaudito, caruerit.

Suaviſſimam hanc ſumendi corpus Domini pietatem à ſanctâ hâc Virgine videtur hauſiſſe Simon Bucherius in Provincia Siculæ Societatis noſtræ temporalis Adiutor, vir eximiæ virtutis. Ubi enim in ſacrâ communione pane cælesti paſtus erat, ſugere, atque haurire videbatur è Domini latere omnem ſaporis ſuavitatem, identidem cum D. Thoma Apoſtolo ingeminans, *Dominus meus & Deus meus*, atque ſi ipſi ſacro lateri inhæreret. O quàm dulcis & ſuavis es Domine in ſacroſancti tui Corporis uſu, cui ſanctiſſimorum tuorum vulnerum iungitur meditatio! *Euſeb. Nierenb. in eius Elog.*

Hic mihi prætereundus non eſt P. N. Vincentius Carrafa, Societatis noſtræ Præpoſitus Generalis VII. notæ vir ſanctitatis, qui dum ſacris operaretur, os de calice ægrè avellebat, atque ſi lateri Domini affixum haberet, ſacrumque ex eodem ſanguinem *Bartolus lib. 2. vitæ eius.*

F hau-

hauriret, ab Euthymio edoctus, qui ait; *Cùm ad tremendum acceſſeris poculum*, calicem intellige, *perſuadeto tibi, quòd ex Dominico bibas latere, & ſic eſto affectus.*

Cap. 17. in c. 19. Ioan.

Id ſibi perſuadebat R. P. F. Ioannes à S. Euſtachio Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, vir in Peruvio Apoſtolicus, qui in divino Miſſæ ſacrificio ſæpè conſpicuum habens Salvatorem, ab ipſo ſacro ejus lateri, non ſemel dignatione admirandâ adhibitus fuit. *Suge ergo, ſuge anima mea*, inquit Auguſtinus, *inhære, adhære, quaſi apicula, ſume, fruere, immergere, replere, quia ille deficere neſcit, ſi tu non incipis faſtidire, ſi ſempiternus eſt guſtus, ſempiterna quoque beatitudo erit. Suge*, inquit Bernardus, *non tam vulnera, quàm vbera Crucifixi, ipſe erit tibi in matrem, tu eris illi in filium.* In ſacra itaque corporis, ac ſanguinis Domini communione, vulnera ejus nobis tot vbera ſint, ex quibus cum D. Chryſoſtomo ſpiritus gratiam, pietate atque aviditate omni, trahamus.

Mich. Brulius Hiſtor. Peruan. l. 5. c. 3. n. 13.

Lib. de ſubſt. dilect.

Ep. 311.

Non minùs in oratione, atque in Davidicorum Pſalmorum, ex more

Eccle-

Eccleſiæ, recitatione, ſeu modulatione, quàm in ſacra Corporis Domini communione, ſanctiſſimis ejus vulneribus, vberibus veluti ſuaviſſimis, frui poſſumus. Scribit Ludovicus Granatenſis ex S. Dominici Ordine virtute ac doctrinâ vir eximius, Bartholomęũ de Martyribus ejuſdem Inſtituti, Archiepiſcopum Braccarenſem, ſanctitatis opinione, ac frequentiâ miraculorum celebrem, tantam orandum inter atque pſallendum, ſuavitatem experiri ſolitum, ut labijs veluti ſugentibus, adinſtar infantulorum, ſtrepitum excitaret, non ſine admiratione ſociorum cum ipſo orantium, & canentium divinas laudes. Rogatus à F. Ioanne de la Cruz Bartholomæus, quid ſibi vellent oris hi in ipſo motus, ac labiorum deguſtantium, atque veluti diſſuaviantium inſoliti ſtrepitus? verecundè faſſus eſt; ſe, dum divina meditaretur, aut concineret, aut etiam voce Deum oraret, videri ſibi ex ſacratiſſimis Domini Ieſu vulneribus, pretioſum ejus ſanguinem ſuge-

In vita eius

re, eaque cogitatione tantam ſe ſuavitatem experiri, ut præter omnem voluntatem ſuam, ejuſmodi oris, ac labiorum ſtrepitum cogeretur excitare; uti ſubinde aſſolent illi, qui dulciſſima, atque ſapidiſſima deguſtant.

Aloyſ. Inglaris in Elogys de Chriſto Ieſu. Fecit Dominus Ieſus, uti ſcribit ille è Societate noſtra, quod.

Bona Mater paritura ſubinde filios:
Vt qui à ſe vitam habent, abundantiùs habeant,
Multiplicat vbera ſua. (Et alibi.
Vbi quaſi parturiens exclamaſſet,
Quos in lucem ediderat filios lactaturus,
Mammillam cordis aperuit.

Hom. 3. in Cant. Cap. 2. v. 4. Aliã nobis rationem colendi vulnera Domini, eorumque memoriam conſervandi, ſuggerit Origenes. Nam vbi anima ſancta ait, *fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo*, ipſe cùm LXX. Interpretibus legit, *Quia vulneratæ charitatis ego ſum:* quaſi illa dicat: non aliam ſe velle charitatem, non aliam iuſtitiam, non aliam humilitatem atque patientiam, non aliam obedientiam, non alium erga bonum proximi ze-

zelum, non aliam denique virtutem quàm quæ in ſacris Domini vulneribus, velut in exemplari exhibetur: & virtus omnis, Origene teſte, à nobis ad exemplum vulnerum Salvatoris exercita, perpetuam illorum memoriam ac cultum, in animis noſtris augebit, ac conſervabit, ſi charitas noſtra (& ſic de virtutibus alijs iudica) charitati Salvatoris reſpondeat, quâ ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, adeoq́ue cum ſponſa dicemus; Vulneratę nos charitatis eſſe cum Ieſu crucifixo, ac vulnerato.

Optatiſſimam hanc memoriam ſuaviſſimè indies recolebat B. Helena de Hungaria, è S. Dominici familia, inſignis virtutis, ac ſanctitatis Religioſa, quæ quinque Domini vulneribus à Deo donata, ac condecorata, eadem veluti totidem ſpecula in ſacro Redemptoris Corpore contemplabatur, divinas eius virtutes repræſentantia, quas ipſa ſedulò exercens, venerandorum horum pignorum recordationem animo nunquam deponebat. Quod tā- *Io. à S. Maria in vitis SS. Ord.*

Digitized by Google

topere Salvatori placuit, vt in dexteræ manus eius vulnere, cæleſtis pulchritudinis, ac fragrantiæ floſculos enaſci voluerit, qui nos monerent, ſi cũ Apoſtolo, *Chriſti bonus odor eſſe cupimus in omni loco*, uti cupere debemus omnes, contentas in ſacratiſſimis eius vulneribus virtutes, veluti totidem flores, nobis legendas eſſe, ut iis animas noſtras exornemus, ſemper memores, illas non aliter exercendas eſſe, quàm uti in ipſis ſacratiſſimis vulneribus à Domino nobis ad exemplum proponuntur.

2. Cor. 2.



MO-

MODVS RECITANDI CORONAM SACRORVM QVINQVE VVLNERVM CHRISTI IESV.

Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum; ut ſignaculum ſuper brachium tuum. Cant. 8. v. 6.

OBSERVA.

QVinquies recitanda eſt oratio Dominica, ad orbiculos quinque, in honorem Vulneris vniuſcuiuſque, & vnica Salutatio Angelica ad vnumquodque nutiſma, ad honorem Matris afflictiſſimæ Filio condolentis, vt ab eo, quidquid per ſacra illius vulnera petimus, nobis clementer impetrare dignetur.

PRIMO.

Itaque hæc legens ad *Vulnus ſacrum ſiniſtri pedis*, pete cum verâ pœnitudine miſericordem peccatorum tuorum condonationem.

SECVNDO.

Ad *dexteri pedis vulnus*, pete gratiam reſiſtendi tentationibus, vitandi peccatorum pericula, & in virtutibus progrediendi.

TERTIO.

Ad *vulnus ſiniſtræ manus*, pete ſalutarem timorem, & ab æterna damnatione liberationem.

QVARTO.

Ad *vulnus dexteræ manus*, magnâ cum fiduciâ, pete ut æternam beatitudinem conſequi poſſis.

QVINTO.

Ad *vulnus lateris*, pete vt in eo tibi habitare liceat, & obtinere ſincerum IESV ac MARIÆ amorem.

SEXTO.

Ad tria reliqua grana, in honorem *trium clavorum*, dic tertiò:

Digitized by Google

Eia Mater iſtud agas,
Crucifixi ſige plagas
Cordi meo validè.

SEPTIMO.

Ad ſacrum Domini Caput.

O bone Ieſu exaudi me,
Intra vulnera tua abſconde me.

OCTAVO.

Ad Crucem.

Gloria Patri, & filio, & Spiritui ſancto, ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

§. I.

Quàm antiquus ſit huius coronæ uſus, ſeu mos ſalutandi Domini Vulnera, per repetitam quinies orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam.

Piiſſimum, ſimul ac religioſiſſimum coronæ huius exercitium, (quamvis non eâ methodo, quæ jam præſcribitur) videtur fuiſſe obſervatum à beato Hermanno, Ordinis ſancti Dominici *Chron. PP. Præd. p. 1. l. 1. c. 61.*

minici Religioſo. Is enim cùm ſacris Domini vulneribus eſſet admodum deditus, diebus ſingulis illa crebrò flexis genibus venerabatur hâc Eccleſiæ vſitatâ ſalutatione : *Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi , quia per Crucem tuam redimiſti mundum* ; Vnicuique genuflexioni Dominicam orationem ſubiungens: quæ pietas Salvatori tantoperè accepta fuit, ut ſe Hermanno detectis vulneribus videndum exhibens,eum ad ſingula deoſculanda benignè invitaverit, quod ipſe ſummâ reverentiâ, atque devotione faciens, ex illis tantum hauſit ſolatiorum, atque ſi cœleſtem Beatorum dulcedinem jam deguſtaret. Vſque adeò ſuavis eſt uſus ſalutandi vulnera illa ſacroſancta.

Verùm diu ante Hermanum in uſu fuit hæc erga ſacra vulnera religio. Habet enim ſuum ab ipſa Deipara principium, vti teſtis eſt B. Ioanna Regis Galliæ filia, Annuntiatarum fundatrix. Conſueverat illa clavis quinque argenteis, ijſque præacutis, pectus excru-

Barry in anſac. devot. 12. p. 1.

Digitized by Google

excruciare, & unà in honorem ſacrorum Domini Ieſu vulnerum orationem Dominicam quinquies recitare, quod ſe à ſanctiſſima, ac pijſſima Domini Matre dicebat edoctā, eamq; faſſā, ſe hac devotione quotidie vulnera veneratā fuiſſe. Ex eo ſcilicet die, quo à morte, reſurgens Salvator, primùm Matri ſuæ afflictiſſimæ, debita ei reverentia, glorioſus apparuit, quando illa Salvatoris, ac filij ſui vulnera ſanctiſſima, ac ſplendidiſſima pios inter amplexus, & ſuaviſſima colloquia, contemplans & admirans, in maternorum, ac virgineorum vberum, toties filio porrectorum, vicem, illis virginea ac materna labia, à filio invitata, admovit uti docet Rupertus, cùm ait, *Mariæ Deiparæ, ante omnes alios, redivivum filium, ſuam victoriam annuntiaſſe, & dulcia carnis ſuæ vulnera præbuiſſe deoſculanda*, quæ ex cœleſtibus illis fontibus tantum conſolationis hauriebat, quantum ex ijſdem, cruci aſſiſtens; hauſerat doloris; principium dans, atque exemplum, hoc feliciſſimo Redempto- *lib. 7. de divin. off. c. 25.*

Digitized by Google

demptoris ſui congreſſu , ſacrorum horum vulnerum venerationi , quæ uti vidit à filio , glorioſo in corpore ſervata , ita æterna memoria cordi ſuo inſculpi voluit, & pietate quotidianâ (uti credere pium eſt) à ſe ſalutari oratione Dominicâ quinquies repetitâ.

Promovet pietatem hanc , ejuſque antiquitatem teſtatur, vetus admodum Inſcriptio, numero ducenteſimo quinquageſimo ſecundo, quam lector reperiet in Chriſtianorum Inſcriptionibus Baſilicæ S. Pauli extra Vrbis muros , quæ juſſu & auſpicijs Emimētiſſimi; ac Reverēdiſſimi Franciſci Cardinalis Barberini jam typis , magno Reip. Litterariæ , & Chriſtianæ pietatis bono , colliguntur. Deſcribo illam eodem charactere & forma.

I GACE IN ECC BTI PET.

ROGO OMES · VOLVNTATE

EE BONOS ꝑ AMOREM DNI

MAIE

Digitized by Google

M̄AIE 7 APLOꝜ PET. 7.
PAVLI VT ꝖVNꝖE PAT̄
N̄R AD RECŌDATIONEM
ꝖV̄IꝖ PLAGAꝜ 7. QV̄IꝖ
AVE M̄AIA GR̄A PLENA
PꝜ PASSIONE

Ita lego, & exſcribo; ita probo ex antiquiſſimo hoc marmore, antiquiſſimum eſſe morem recitandi *quinquies Pater noſter*, & *quinquies Ave Maria* ad venerationem ſacratiſſimarum quinque plagarum Domini.

Emicuit & in hac pietate B. Mechtildis in Comitatu Mansfeldiæ, Ordinis ſancti Benedicti Abbatiſſa. Filias ſuas religioſas pia mater hortari erat ſolita, vt pro affectu, quo in ſacra vulnera Salvatoris ferebantur, in illorum honorem, partitione in ſingulas factâ, quinquies mille orationes Dominicas, & totidem ſalutationes Angelicas *Li. 4. Grat. ſpir. c. 25.*

ſimul

ſimul omnes recitarent. Quæ devotio Salvatori ita placuit, vt Mechtildi extenſis brachijs, & patentibus vulneribus apparens, dixerit, Patrem ſuum horum aſpectu magnopere placari, ſeque cùm quinquies tantùm oratio Dominica, & ſalutatio Angelica in illorum venerationem recitatur, mirum in modum recreari.

§. II.

Quàm gratus Salvatori ſit huius Coronæ vſus.

EXemplis iſtis edocta tandẽ ingenioſa poſterorum pietas, ſuaviſsimum ſacræ huius Coronæ vſum adinuenit, qui non poteſt non gratiſſimus accidere Salvatori, à quo quæ non beneficia ſperabimus, quando eandem percurrendo, toties illi ſacra vulnera, pijs conſiderationibus, veluti balſamo condita, repræſentamus. Nam quemadmodum Regi, qui vt ſubditos ſuos in

in libertatem ab hoſtibus vindicet, pro illis bellum gerens, & fortiter pugnans, graviter vulneratus eſt, nihil contingere poteſt gratius, quàm ut liberati, præliorum, ac vulnerum illius memores, ea in tabulis depicta ac palã ſpectanda proponant, grati animi ac devotionis erga liberatorem ſuum æterna monumẽta: Ita & Salvatori noſtro nihil æquè placet, quàm certaminum ejus, cum antiquo animarum noſtrarum hoſte ſuſceptorum, & vulnerum in illis acceptorum devota memoria, quæ in Coronula noſtra, veluti in totidem tabulis, oculis noſtris exhibentur. Et ipſe redivivus Dominus, illa veluti totidem victoriæ ab hoſtibus ſuis reportatę ſigna, in corpore glorioſo ſervavit, tantique fecit, ut cœlo inferre voluerit, ut ab Angelis ſanctiſque omnibus quaſi humanæ redemptionis teſtes, æterna veneratione colerentur, eſſentque illi totidem ſpecula, in quibus miſerias noſtras cõſpiceret, & ex ijſdem, veluti ex totidem fontibus, ſuam in nos miſericor-

diam

diam depromeret. Et tu, quid hîc agis anima mea? Tanti vulnera ſua fecit Salvator, ut ea cœlo intulerit, tanti ſunt cælitibus omnibus ut æterna illa veneratione obſervent; & tu nec mentis, nec corporis oculo illa dignaberis, ut conſideres quanto à te amore, ac honore ſint colenda, quæ tanto pro te amore ſuſcepit, & honore Salvator coluit, & æternùm colet.

Gaſpar Mancebo in vita eius,

Hac in pietate exemplum tibi præbet Iohanna de Guilhem, Origuelis, oppido Regni Valentiæ, Ordinis S. Auguſtini, magnæ virtutis Religioſa, quæ anno 1607. vivere deſijt. Aſſueverat illa ſecum aſſiduè deferre in tabellâ, depicta Domini vulnera, oculiſque atque animo ea crebrò ſubijcere. Quatuor tabellæ angulos occupabant manuum, ac pedum vulnera, medium lateris, ſeu cordis; ſub hoc columbula quieſcebat varij coloris, quæ diceret; *Pone me iuxta te:* ipſi verò cordis vulneri columbula alba, priore minor inſidebat, hac Epigraphe; *In nidulo meo moriar*, in quo uti vixerat, ita

Iob. 17. v. 3. Iob. 29. v. 18.

in

in eodem vitam ponere exoptans. Et nos in eodẽ vivere ac mori debemus, vulnerũ Salvatoris ſemper memores, illa, in Coronulâ noſtrâ circumferentes, uti circumtulit Magdalena Carrafa, Princeps in urbe Neapolitanâ matrona, quę pro armillâ utebatur Deiparæ Roſario, materia pretioſiore, quò pia ejus fraus magis tegeretur. Illius globulis captus in horto Salvator, flagellatus, ſpinis coronatus, cruci affixus inſculptus erat, ut patiẽtis ac vulnerati ſui Salvatoris memoriã numquã deponeret, illoque monitore, in æqualium Matronarum converſatione, ac conſuetis earum oblectamentis, divinam Majeſtatem non offenderet. Ita piæ animæ, non in tabellis tantùm, ſculptis gemmis, ac numiſmatibus, ſed multò magis in cordibus, vulnera Redemptoris ſui circumferant; quod obſequium vt illi acceptiſſimum, ita nobis ad pietatem, ac præſidium, vtiliſſimum eſt. *Io. Rho. lib. 3 c. 2. exemp. virt.*

Habemus aliud hujus argumenti teſtimonium in ſanctâ Virgine *In Hiſt. vitæ c. 29.*

ne Tereſiâ, cujus precatorijs globulis lignea Crux de more ſubſtricta, à Salvatore ſublata fuit, atque in magni pretij, varijq́ue coloris gemmam converſa; cui cum ſacra ſua vulnera inſculpſiſſet, eam Tereſiæ reddidit; quæ ei gemmea, alijs ſemper lignea apparebat. Docebatur Virgo cæleſti hoc prodigio, ſive in Deiparæ, ſive in novâ hâc coronulâ gratiſſimas Domino preces fundi, quando pia ſacrorum quinque vulnerum recordatione condirentur.

§. III.

Coronam hanc Roſario, ſeu Coronæ Deiparæ nihil obeſſe, ſed illam ab hac magis commendari.

PIum, ac benevolum lectorem hîc rogatum velim, ut ſibi perſuadeat novam hanc Coronam non proponi, ut pijſſimum vſum, ac laudatiſſimum recitandi Deiparę Virginis Roſarium, vlla ratione impediat, aut obſcuret. Quemadmodum enim iſtud in honorem

Digitized by Google

rem , & memoriam gratiarum innumerabilium, quas à divina manu Deipara liberaliter accepit , à magno illo Patriarcha, ſancto Dominico, inſtitutũ eſt, conſtatque orationibus Dominicis paucioribus, ac pluribus multò Salutationibus Angelicis, in quibus exordia recenſentur Redemptionis noſtræ; Ita Coronula hæc, quæ piè inventa eſt ob eandem Redemptionis noſtræ memoriam , in ſacris quinque Domini Ieſu vulneribus conſummatę, tantùm uſurpat quinque ſalutationes Angelicas, & orationes Dominicas viginti quinque. Neque improbandus eſt hic vſus, ſicut in Italia, Hiſpania, Indiis, alijſque Regnis , ac Provincijs non improbatur Corona Iesv, à ſanctiſſimo RR. DD. Camaldulenſium Ordine, pro veneratione annorum Domini , & ſacrorum ejus vulnerum inſtituta ; quæ triginta tribus orationibus Dominicis, & quinque Angelicis ſalutationibus conſtat, recitato ad Crucem , Apoſtolorum Symbolo. Cujus Coronæ devotionem ut promouerent Leo X. & Sixtus V.

Summi Pontifices, Indulgentias varias eam recitantibus conceſſerunt : ut cauſa non appareat, cur hujus Coronæ pietas minùs probari poſſit , quam etjam, ſuis gratijs confirmavit, & promovit Paulus V. Pontifex Maximus, quando anno M. DC. XI. Brevi ſingulari centum dierum Indulgentias conceſſit omnibus dictæ Archiconfraternitatis illam recitantibus; gratumq́ue habuit ſibi eandem præſentari, quam & cingulo appendit; ut teſtatius nihil deſiderari poſſit, dum à Chriſti Vicario, atque Eccleſiæ Capite eius vſus approbatur, qui auctoritate hâc supremâ, atque exemplo, eodem tempore in vtraſque vſque Indias penetravit.

Bartol. in vita P. N. Vin. Carrafa l. 2.

Roſin. antiq. Romã, l. 4. c. 13.

Apud Romanos olim in more poſitum erat, fontes quotannis coronare floribus, eorumq́ue feſta celebrare, quæ *Fontanalia* appellabant. Et nos fontes noſtros habemus; *Mariæ* ſcilicet Vbera, & *Ieſu* Vulnera; illa lacteis & niveis, hæc ſanguineis, & rubicundis rivis manantia. Illa ſanctiſſimus RR. PP. Prædicatorum Ordo roſis candidis

dis

dis coronat, centum ſcilicet, & quinquaginta Angelicis ſalutationibus, feſtoq́; annuo veneratur: hæc nos, Orationibus Dominicis viginti quinq;, totidem veluti purpureis roſis coronabimus, ac ſacro die, olim ab Innocentio VI. inſtituto, honorabimus.

Neque ſancta, ac divina hæc exercitia invicem ſibi adverſabuntur: nam uti cruenta filij vulnera, cum virgineis Matris vberibus rectè conveniunt; ita & Coronæ utriuſque invicem ſe promoturæ ſunt, ut à Matris vberibus cum S. Auguſtino ad Filij vulnera, & à Filij vulneribus ad Matris vbera confugiamus, & à *Ieſu* ac *Maria* gratiam, & miſericordiam impetremus: vel ut cum ſuaviſſimo, ac ſanctiſſimo Bonaventura; *Convulneremur vulneribus Filij, & Matris vberibus lactemur, & lac Matris cum ſanguine Filij miſceamus, & faciamus nobis vnam dulciſſimam potionem, ad depellendam omnem animi triſtitiam.* *In ſtim. div. am.*

§. IV.

Allocutio Zachariæ Prophetæ ad Salvatorem vulneratum, & introductio ad ſequentes Conſiderationes.

QVæramus ergo piâ ſollicitudine
c.13. v.8. ab optimo Salvatore, cum Zacharia Propheta, & dicamus ei? *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Quàm*
cap. 13. in Zach. *diu putas, & quomodo*, inquit Rupertus, *& à quo, vel à quibus dicetur ei? Nimirum in ſæcula ſæculorum, ſine ceſſatione, dicetur ei; & admirando admiratione ineffabili dicetur ei; & à Deo Patre, cui factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, dicetur ei, & ab Angelis, qui in eum deſiderant proſpicere, dicetur ei; & ab hominibus, quos morte ſua redemit, dicetur ei; Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? O magnum miraculum! ô mirum ſpectaculum, præſertim in Domino dominatore omnium, plagas eum habere in medic manuum ſuarum!* Quarum veneratione ut in Coronæ hujus uſu utiliùs, ac ſuaviùs occupemur, decrevi pijs animis quinquies quinque Conſiderationes ad

Digitized by Google

ad Dei, ac vulnerati Salvatoris obſequium,. & gloriam proponere, ut non uno tantùm, ſed omnibus vitæ noſtræ diebus, & nos dicamus ei: *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum*? nec in medio manuum tantùm, ſed & in medio pedum, lateris, ac cordis tui ſuaviſſimi, atque amantiſſimi?

Obſervandum in ſequentibus Conſiderationibus, exiguum, aut nullum fructum relaturum eſſe eum, qui in ſingulis Orationibus Dominicis, ſingulas conſiderationes vellet perpendere. Id enim non niſi curſim fieri poſſet: ſingulæ autem ad unum vulnus expendendæ ſufficient, vel certè ſi ita fert affectus, quælibet una conſideratio extendi poterit ad omnia vulnera. Vt enim hęc inter ſe habent commune meritum, ac parem dignitatem, ita & cõmunia, ac paria Elogia, & Conſiderationes habere poſſunt. Ut autem conſiderationes hæ, piæ quidpiam curioſitatis inſperſum habeant, lectori pio pergratum futurum confido, ſi ijs quædam, quæ animum levent, interpoſuero.

 QVIN-

QVINQVIES QVINQVE CONSIDERATIONES CRVENTORVM VVLNERVM CHRISTI IESV.



Quot clavis Chriſtus crucifius fuerit.

PVlchrè Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Quemadmodum*, inquit, *Chriſtus lignum poſuit adverſus lignum, ita manus poſuit adverſus manus, & pedes ad-verſus*

In Apologet.

verſus pedes; manus ſcilicet ſuas, ac pedes clavis confixos & conſtrictos, adverſus manus & pedes noſtros incontinentes & ſolutos. A confixis & conſtrictis illis pedibus, pietatis erga ſacratiſſima Domini vulnera principium ducere, docuit me P. N. Vincentius, quod & multis Dei ſervis in uſu fuit, ut illis tendamus ad manus, & ab his ducamur in apertum latus, & aſcenſiones ponamus in corde *Ieſu*, quando hiſce vijs cor noſtrum in illud aſcenderit.

Ordior itaque à pedibus Domini, ac dico, *Si ſpecioſi pedes evangeliſantis nos*, ut ait Apoſtolus, quanto erunt ſpecioſiores nos ſalvantis; *pertranſibant hi benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo*; ijſdem longis, ac crebris itineribus *fatigatus ſedebat Ieſus ſic ſupra fontem*, ut Samaritanam, ovem perditam expectaret. Hiſce venit *ſaliens in montibus, tranſiliens colles*, clavis licet Cruci confixi ſint duos inter latrones, atque ſi Dei filium ad ſcelus omne deduxiſſent, & nos eſſent deducturi.

Miraberis fortè Lector pie, ac benevole,

Ad Rom. 10. v. 15.

Act. 10. v. 38.

Ioan. 4. v. 6.

Cant. 2. v. 8.

In tragœd. de Chriſto patiente.

vole, me clavis nō clavo velle Domini pedes cruci affixos, cùm S. Gregorius Nazianzenus Salvatoris crucem *Triclave lignum* appellet; S. Bonaventura dicat, *tres tantùm clavos totum corporis Chriſti pondus ſuſtinuiſſe.* Quæ etiam ſententia eſt S. Anſelmi, Toſtati, & aliorum: imò idem communi hominum conſenſu videtur receptum à Chriſtiano orbe univerſo, cùm Chriſti crucifixi imagines pæne omnes tribus paſſim cum clavis efformentur. Ratio verò, ait Zuarius noſter, adiungi poteſt, vel quia clavorum hic numerus ſufficiebat, vel quia cruciatus, ac dolor gravior in tribus, quàm in clavis quatuor erat futurus, quod, inſtigantibus Iudæis, ſpectabant milites, & Salvator optabat; oportebat enim pedem pedi imponere, & clavo configere, qui uti longior, & craſſior eſſe debuit, & graviori, ac repetitâ mallei percuſſione infigi, dubium non eſt, quin graviorem Salvatori cruciatum ac dolorem intulerit. Ita cum Abulenſi Zuarius.

In Meditat. de vita Chriſti.

Tract. de paſſ. Dom. paradoxo 3. c. 10.

In 3. par. part. 2. tit. 2. diſp. 36 Sect. 4.

Ve-

Verùm aliorum graviſſimorum ac ſanctiſſimorum virorum, & Doctorum alia eſt ſententia, quorum agmen ducens S. Auguſtinus, *Immaculata*, inquit *Chriſti veſtigia diris confixa clavis*; & S. Cyprianus, qui clavis, non clavo, dicit *pedes Domini terebratos.* S. Gregorius Turonenſis; *Clavorum*, inquit, *Dominicorum hæc eſt ratio; duo ſunt affixi in palmis; & duo in pedibus.* Idem confirmat Innocentius III. Pontifex Maximus, qui & Chriſtianum hominem hortatur, *ut Chriſto crucifixo duas manus, pedeſque duos, clavis quatuor configat.* Cui opinioni alij ſubſcripsêre recentiores. Inter quos Franciſcus Cardinalis Toletus è Societate noſtrâ aſſerit quatuor fuiſſe milites, qui Dominum crucifixerunt, ac ſingulos totidem clavis in membra Redemptoris adigendis fuiſſe ſimul eodem tempore occupatos. Quibus Alphonſus Paleotus Archiepiſcopus Bononienſis deſignari ait quatuor mundi partes à Salvatore cruci confixo redemptas.

Lib. 2. meditat. c. 6.
ſerm. de Paſſ. Dom.
De glor. Mart. l. 2. c. 6.
In Serm. 1. de uno Mart.
In cap. 19. Io. Annot. 14.
In explicat. Sacræ Sindonis c. 9.

Toletum anteceſſit Guilielmus Damaſi

Panop. Lib. 1. c. 47.

Damaſi Lindanus Epiſcopus primùm Ruræmundenſis, deinde Gandenſis, qui non tantùm probat in vetuſtiſſimis Lovanij, Pariſijs, & per Germaniam imaginibus, ſed ex tabellis, quæ in Græcia viſuntur, antiquiſſimis, Chriſtum clavis quatuor fuiſſe crucifixum. Et in Italia noſtra, inquit, Iacobus Boſius, videre idem eſt in illa antiquiſſima Lucenſis Crucifixi imagine, in ea quę Siroli prope Anconam aſſervatur, & quod magis refert, in S S. Martyrum cœmiterijs quæ extra Romanæ vrbis mœnia ſub terra effoſſæ ſunt imagines, jam inde à primitivæ Eccleſiæ temporibus hoc modo pictæ conſpiciuntur. Vnde Gretſerus noſter in hanc ſententiam abiens, ait, cùm Romani reos ſuos, atque etiam Martyres, clavis pluribus quàm tribus crucifigere ſoliti fuerint, cenſeri poſſe illos Domino crucifigendo quatuor adhibuiſſe. Concludo cum Cæſare Cardinale Baronio, qui quidquid tandem in hac diſſertatione ſtatuendum ſit, ait *clavos hoſce Salvatoris non fuiſſe*

Lib. de Cruce c. 15.

Tom. 1. de cruce c. 20.

Annal. Tom. 1 an. Chriſti 34. n. 110. Loco cit.

pauciores

pauciores quàm tres, non plures quàm quatuor, & Zuarius *de ijſdem nihil certi ſtatui poſſe exiſtimat.* Iuſtus verò Lipſius par ſibi virtute ac doctrina, ubi ſcribit de Cruce, reverenter ait, *in hoc diſſenſu Patrum, non eſſe ſuum arbitrari.* Una tamen S. Birgitta ex divinâ revelatione ſcribit, *Pedes Domini deorſum fuiſſe tractos, & duobus clavis perfoſſos, neque habuiſſe aliud ſuſtentaculum, niſi clavos.* Quem locum ex pluribus adfero & religiosè iudico, tribuſne, an quatuor clavis cruci fixus ſit Salvator eſſe diſputationem piè curioſam, facturos verò nos digniſſimum operæ pretium, ſi noſtrum quiſque pro gradu ſuo, vel tribus, vel quatuor votorum ſuorum clavis ei ſe cum Apoſtolo configat, ac ſacratiſsimis ejus infigat vulneribus, in quibus, *Cor contritum & humiliatū Deus non deſpiciet.* Uti Rex David contritus, & humiliatus teſtatur. Recitans itaq; Orationē Dominicā quinquies, & ſemel Angelicam ſalutationem ad vulnus ſacrum ſiniſtri pedis, ora Deum, vt tibi peccata tua miſericorditer condonet,

Lib. 2. c. 9.

Pſal. 50.

donet, excitando in te veram contritionem, non ex timore pœnæ alicujus, aut dolore jacturæ; ſed ex vero Dei amore, quòd immenſam illam bonitatem, tam benevolum ac benignum Patrem, tantâ malitiâ, ac contemptu, tot peccatis, tamque gravibus offenderis.

CONSIDERATIO I.

Vulnera Chriſti

Medicina animarum.

DEus cui proprium eſt miſereri, verè ſollicitus de filijs Pater, ita mundum dilexit, ut Filium ſuum unigenitum illi Medicum daret, ad curandos animarum noſtrarum morbos, & quidem mortiferos. Vnde rectè S. Auguſtinus: *Bene noſtis, chariſſimi, Dominum noſtrum, & Salvatorem Ieſum Chriſtum à Patre datum eſſe Medicum ſalutis æternæ, & ad hoc eum ſuſcepiſſe infirmitatem naturæ noſtræ, ne ſempiterna eſſet infirmitas noſtra.* Et

Serm. 18. de verb. Dom.

Digitized by Google

Et perſpicuè ſanè, Medicum ſe eſſe, ac veniſſe ut nobis mederetur, ipſe Salvator teſtatus eſt, Lucam audiamus: *Et venit*, inquit ille, *Ieſus Nazareth, ubi nutritus erat, & intrauit ſecundùm conſuetudinem ſuam, die Sabbati in Synagogam, & ſurrexit legere. Et traditus eſt illi liber Iſaiæ Prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum, ubi ſcriptum erat, Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde. Et cùm plicuiſſet librum, reddidit miniſtro, & ſedit. Et omnium in Synagoga oculi erant intendentes in illum. Cœpit autem dicere ad illos, quia hodie hæc ſcriptura* (Medicum ſcilicet me à Patre miſſum eſſe) *impleta eſt in auribus veſtris*; mederi enim veni *contritis corde*, oppreſſis ſcilicet à peccato animabus, uti loquuntur Interpretes.

Cap. 4. v. 21.

Cap. 61. v. 1.

Quod iterum alibi Dominus ipſe affirmat. Nã Capharnai à Levi Publicano, qui deinde Apoſtolus, & Evãgeliſta Mâtheus dictus eſt, ad menſam vocatus, cùm plures ille, eiuſdem ſecum conditionis convivas adhibuiſſet, nec

Math. c. 9. v. 11.

cum

cum illis accumbere Salvator detrectaret, indignè id ferentes Phariſæi; *Quare*, aiunt, Domini diſcipulos allocuti, *cum Publicanis, & peccatoribus manducat Magiſter veſter?* quibus Salvator ipſe: *Non eſt opus*, inquit, *valentibus medicus ſed malè habentibus, euntes autem diſcite quid eſt: miſericordiam volo, & non ſacrificium. Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Inter quos, veluti miſericors Medicus accumbebat, vt vulnera, ac morbos, curaret, quibus illorum animæ laborabant.

Oſea 6. v. 6.

Lib. 1. Narrat Herodotus ſolere Ægyptum Medicis abundare; neminem tamen eorum præterquam ægri unius curam ſuſcipere ſolitum eſſe, ut ita omnem artem & induſtriam uni rectè ſanando impenderet. Non ita Medicus noſter, qui, uti Matthęus ait: *circuibat totam Gallilæam, ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Et S. Lucas: *Omnes qui habebant infirmos variis languoribus, deducebant ad eum, & ille, ſingulis manus imponens, curabat eos*, non à morbis corporis tantùm, ſed etiam animorum,

Cap. 4. v. 23.

C.4.v.40

Digitized by Google

morum, non uni ergo infirmo Medicus eſt Salvator, ſed omnibus, à quacumque detinentur infirmitate, & quid emſolâ manus impoſitione: quamquam ſic ſingulis omnem divinæ ſuæ medicinæ opem impendit & operam, tanquam unis, & unicis ſuis. Quam manum medicam pro te anima mea crucifixam, ac vulneratam reverenter exoſculare, & ſalutarem eius opem infirmitatibus tuis curandis implora.

Lazarus Marthæ, ac Mariæ frater *Io. cap. 11. v. 3.* in morbum inciderat: Sorores è familia ſua certum hominem mittunt ad Ieſum, qui dicat ei: *Domine, ecce quem amas, infirmatur*; quod amãti dicere ſatis erat. Centurio pro ſervi ſui valetudine obſecrat. Reſpondet Dominus, *Ego* *Matth. c. 8. v. 5.* *veniam & curabo eum.*

Domine Ieſu, ecce animæ, quas amas, infirmantur; veni ergo iſtis tuis benedictis & perfoſſis pedibus, & cura eas; veni iſtis tuis benedictis, & perfoſſis manibus, & has ſuper eas impone, & bene habebunt; veni iſto tuo benedicto, & transfixo latere, ut in

H hoc

hoc tanquam in divinum Noſocomium admittantur, & à te Medico miſericordiſſimo curentur; nam extra medicas illas tuas officinas, nulla animabus noſtris ſalus eſſe poteſt.

Forn. præf. in roſ. pent.

Inter roſas ea eſt, quam pentaphyllam, à totidem foliis, vocamus, quæ aquis ſuis, oleo, unguento, alijſque, quæ ab illa conficiuntur, medicamentis, vulneribus curandis, morbiſque pellendis admodum opportuna eſt. Pentaphyllam hanc roſam legimus in ſacratiſſimo Dominici Corporis horto, ſanctiſſima ſcilicet ejus quinque vulnera, quæ aquâ, & ſanguine ſuo pretioſo, diviniſque ſuis meritis, miſericordiæ veluti oleo, certam animarum noſtrarum vulneribus, ac morbis omnibus medelam adferunt. *Profectò*, inquit B. Petrus Cardinalis Damianus, *non caſu quinque ſunt vulnera Salvatoris, lanceæ ſcilicet, & clavorum, ſed quia nos fueramus quinque ſenſuum vulneribus ſauciati, per has quinque plagas ſaluti ſumus perpetuæ reſtituti*, Vt rectè dicat Bernardus, *Poſt hoc tam potens, at-*

Ser. 61. in Cant.

que

que efficax, medicamentum, nulla iam nos poſſe morbi malignitate terreri.

Hoc ſpectaſſe credo Illuſtriſſimum, ac Reverendiſſimum Dominum Antonium Trieſt, Eccleſiæ Gandavenſis Epiſcopum, Domo Antiqua, & Illuſtri, eadem in vrbe, Flandriæ Metropoli, oriundum; cùm noviſſimè in Cathedrali ſua ſancti Bavonis Baſilica Confraternitatem inſtituit, ac inſigni liberalitate dotavit, Sacratiſſimorum quinque Domini vulnerum, ab Innocentio X. Pontifice Maximo confirmatam, & Gratijs, atque Indulgentijs pluribus auctã, Anno Domini M. DC. LII. VII. Id. Iul. Quindecim verò, numero, ſacro huic Iuſtituto, aptiſſimo, ſunt piæ ac primæ in Belgio Confraternitatis hujus (quæ fidelibus vtriuſque ſexus comunis eſt) Moderatores, quibus Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Gandavenſis Eccleſiæ Epiſcopus præerit, uti Inſtitutoris, ac Fundatoris ejuſdem ſucceſſor. Erunt hi Eccleſiaſtici quinque, totidem Inſtitutoris ſeu Fundatoris cõſanginei, vel affines;

 & alli

& alii quinque Nobilitate, ac Virtute conſpicui. Hæc Inſtitutoris pia voluntas eſt, qui uti ſolicitus Præſul, & Paſtor, ovibus ſuis ſubſidia omnia (à me deinde in Conſiderationibus ſubſequentibus proferenda) ex ſacris, atque adorandis Domini vulneribus depromere voluit, quæ nobis hac in Conſideratione medicina ſunt, gravibus animarum noſtrarum morbis, opportuniſſima.

Quod rectè intellexit antiqua illa, & nunquam ſatis laudanda Germanorum pietas, apud quos publicus ſacrorum Domini vulnerum cultus, olim principium habuit, & temporum iniquitate collapſus, paucis abhinc annis reſtitutus eſt. Gerebant ipſi divina hæc pignora non animis tantùm impreſſa, ſed & honorarijs nummis, hac Epigraphe;

Vulnera Chriſti
Noſtra medela.

Uti in adverſa figura patet.

Digitized by Google



Lommelin fe.

Digitized by Google

Serm. 62. in Cant. Idem affirmat denuò S. Bernardus cùm ait, *Nihil tam efficax ad curanda conſcientiæ noſtræ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Chriſti vulnerum ſedula recordatio*, quæ eâ de causâ, multò ante Bernardum, D. Leo in Domini Corpore ſervata dixit: quia hujuſmodi ſanctæ cogitationes magnam vim habent excitandi in nobis veru de peccatis commiſſis dolorem, ac ſincerum erga Deum amorem, à quibus in Domini Ieſu vulneribus animarum noſtrarum ſanitas integerrima ſperanda eſt.

Num. 21. v. 9. Filij Iſraël Deo rebelles, in deſerto, ſerpentum morſibus læſi, æneo ſerpente conſpecto, quem juſſu Dei in ſtipite Moyſes erexerat, à venenato vulnere curabantur. Effigiem ænei ſerpentis, ait Tertullianus, *formam deſignaſſe Dominicæ crucis Si ergo quiſpiam*, uti monet Adrianus I. Pontifex, *Ad Carol. Mag. Reg. Fran.* *percuſſus fuerit à ſerpentibus peccatorum, Chriſtum crucifixum intueatur, & habebit ſanitatem*. Moſaicus autem ille ſerpens neque è ligno, aliáve materiâ confectus,

ſed

ſed ex ære, non ſine myſterio fuſus erat. Æs enim Ægyptium conſervat humana cadavera, quibus populi illi, ne computreſcerent, clavos æreos infigebant. Non ſecus à peccatorum corruptelâ animas noſtras conſervabunt clavi Domini Ieſu, ſi illis cruci ejus configamur. *Camer lib. 1. hiſt. c. 14.*

Atque ut in efficaciſſima hac medicina quærenda, & adhibenda piè ſolliciti ſimus, ingenti nobis erit ſtimulo quod ſubijcio, habeoque ex fide digna relatione. Vir princeps ſpectatæ virtutis, Dominicæ Paſſioni admodum devotus erat, qui nullâ non nocte antequam quieti ſe daret, Chriſti in Cruce pendentis (quam in menſa ſua ante oculos ſemper habebat) pedes oſculabatur. Æmulos patiebatur Principis optimi virtus. Convenerunt illi cum cubiculi ejus præfecto de tollendo per venenum Domino, quod perfidus ille Crucifixi pedibus immiſcuit, ut dum his de more Princeps oſculum daret, præſentiſſimi veneni peſtem ſpiritu ipſo hauriret, & in viſcera tranſmitteret.

ret. Verùm Deus, qui populo ſuo adverſus ſerpentum venena, in Crucis ſuæ figura adfuit, in eiuſdem effigie ſervo ſuo non defuit. Cùm enim pro conſuetudine ſua Princeps, priuſquam decumberet, crucifixi ſui pedibus oſculum ferret, reluctatus eſt in imagine ſua Dominus, atque oſculum non admiſit. Perculſus rei novitate Princeps, verebatur ne occulto aliquo crimine hujus repulſæ dediſſet cauſam. At cubiculi præfectus, Dei providentiâ erga Dominum ſuum permotus, illi ad genua accidit, rem à ſe perfidè geſtam aperuit, culpam ſupplex deprecatur, facilemque teterrimi facinoris veniam non tanquam à Principe, ac Domino, ſed velut ab amantiſſimo Patre impetrat. Eia anima mea, ad benedicta ſacrorum Domini pedum vulnera ſemper confugito. Habes enim in his præſtantiſſimum, contra omnium ſcelerum venena, antidotum.

Neque vulnera Domini, animarum nocentioribus, ut ita dicam, venenis,

de-

Digitized by Google

devijs ſcilicet cogitationibus, quibus veluti pedibus itur ad malum, ſed earundem morbis omnibus, quibus intellectus, voluntas, memoria; omneſque ſenſus noſtri validè opprimuntur, opportuna ſunt medicamenta. *Iacet*, inquit Auguſtinus, *toto orbe, ab Oriente uſque ad Occidentem grandis ægrotus, ſed ad ſanandum grandem ægrotum, deſcendit omnipotens Medicus. Humiliavit ſe ad mortalem carnem, tanquam ad ægroti lectulum*, ſacratiſſima ſua nobis aperit vulnera, veluti tot officinas medicas, in quibus contra omnes animæ noſtræ morbos remedia affluunt. *Ingredere*, ait S. Bonaventura, *has vulnerum Domini Ieſu apothecas, & accipe in illis medicinam ſanativam, reſtaurativam, præſervativam, & conſervativam. Ibi quæcunque appetis electuaria reperies, quæ animæ tuæ ſtomachum faſtidientem ad divinum guſtum reſtituant. Sanabuntur languores tui*, inquit Auguſtinus, *noli timere, magni ſunt, inquies, ſed major eſt Medicus: Omnipotenti Medico nullus languor incurabilis occurrit.* Vide & obſtupeſce anima mea

Serm. 59. de verb. Dom.

P. 1. Stim. c. 1.

In Pſ. 102.

mea grandem ægrotum in rabiem, & furias actum; habe & grandem medicinam, & eandem morbis tuis multis, & maximis ſpera. *Quid fecit medicus*, inquit Auguſtinus, *in phrenetico Saulo? proſtravit ſævientem, erexit credentem: proſtravit perſecutorem, erexit prædicatorem. Proſtratus in terram dormivit phreneticus, ſurrexit, & factus eſt medicus. Cæpit curare in alijs morbum, quo ipſe laboraverat, & effectus diſcipulus cæleſtis Archiatri, antidotum habuit confectum ex ſanguine medici Prior ipſe bibit, & bibendum infirmis ſuis præbuit.* Ecce grandem ægrotum, ecce grande remedium! de quo Ambroſius; *Vulnus eſt*, inquit, *quod Chriſtus accepit ſed medicina eſt, quam effudit*; de qua ita Anguſtinus; *O medicinam omnibus conſulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabeſcentia reficientem, omnia ſuperflua reſecantem, omnia neceſſaria cuſtodientem, omnia perdita reparantem, omnia depravata corrigentem.*

Lib. de Symb. c. 3.

L. de Agon. Chriſti cap. 11.

Grave malum eſt, & quo homini vix gravius quidquam contingere poteſt, oculorum cæcitas, obſcuritas, aut quævis

vis

Digitized by Google

vis alia infirmitas; ut rectè ſalutanti Angelo, & gaudium ei precanti, reſponderit Tobias; *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video.* Et cœcus ille Evangelicus poſt Dominum prætereuntem clamans, cùm hic ab eo peteret; *Quid tibi vis faciam? Domine,* inquit, *ut videam*; non opes, non honores, non corporis commoda, ab eo, quem credebat illa poſſe dare, ſed vnum oculorum uſum petit, quem bonis omnibus judicabat anteponendum.

Tob. c. 5. v. 11.

Luca 18. v. 41.

Totus mundus cæcus eſt, ait S. Auguſtinus, *ideoque veniſſe Deum illuminatorem, vt Diabolum pelleret excæcatorem* Cæcis itaque mundus plenus eſt, ijs, inquam, qui videntes non vident, quæ ad virtutis profectum & animæ ſalutem conducunt, vident autem acutè nimis, & ſectantur, quæ ad corporis commoda ſpectant, & æternis periculis animam exponunt. Quæ cæcitas aliquando etiam Dei ſervos invadit, vti ipſe Deus queritur, *Quis cæcus niſi ſervus meus?* ſed quod huic malo remedium

Lib. 50. Hom. 43.

Iſ. c. 42. v. 19.

Digitized by Google

medium inveniemus? Collyrio opus
Apoc. 3. v. 18. eſt, quo S. Ioannes vult *inungi oculos noſtros, ut videamus*. paratur id ex ovi albumine, & aquâ roſaceâ, quam roſa noſtra Pentaphylla dabit, ad omnem à nobis oculorum infirmitatem, ac cęcitatem depellendam.

Luc. VVad. T. 2. An. Min. a. Chr. 1253. n. 44. Tyrocinium agebat in S. Franciſci familiâ Iuvenis domo nobili, & opulentâ natus, qui animo quo cœperat, factus remiſſior, præ ſplendidâ parentum domo faſtidire vilius Monaſterij tectum; non ferre data ad virtutem Magiſtri ſui monita; reſpicere ad patris, ac matris blanditias; præ fratribus, ac ſororibus, ſocios tyrones contemnere; menſam pauperem repudiare; anhelare ad delicatiorem. Dicam
In Pſal. 9. hîc cùm S. Auguſtino; *Cùm magnum malum putent homines oculorum cæcitatem, quia lux illa retrahitur; quantam ergo pœnam patiatur, qui eò perducitur, ut non ſit Deus in conſpectu eius*, uti in conſpectu Tyronis huius non erat, qui mente cæcâ mundum repetere, & clam omnibus fugam capeſſere decernebat,

quam

Digitized by Google

quam dum aggreditur, amiſſo viſu viam evadendi non reperit. Itaque dum errabundus quaquaverſum abire tentat, in templum tandem illabitur, ubi à cruci affixo Salvatore interrogatus, cur fugam ita noxiam, & infamem inire tentaret? Reſpondit: ſe adeò delicatè educatum, aſpero, ac duro iſti vitæ generi parem non eſſe; Cui Chriſtus: *Reſpice ad manus meas, & pedes meos, conſpice latus pro te transfixum, collige ſanguinem pro te effluentem, inunge collyrio hoc oculos tuos, & videbis quàm exigua ſunt, quæ pateris, ſi cum cruciatibus meis conferantur.* Intinxit Tyro digitum in latus Domini, & ſacro illo ſanguine, roſæ, inquam, illius Pentaphyllæ divino liquore oculos liniens, corporis & animi viſum recepit; ac depulſa omni tentatione, cognovit beatius eſſe nihil, quàm patientis Salvatoris veſtigia ſectari. Vnge Domine IESV eodem ſacri tui cruoris collyrio, & illumina oculos meos, vt te cum Tyrone illo videam, cognoſcam, & amplectar pro me adeò dura patientem, & in Cruce infami morientem.

Ma-

Digitized by Google

Magnum ægro ſolatium eſt, cùm Medicum benignum, ſibique habet compatientem, & ſimul omnipotentē. Is nobis Dominus Ieſus eſt, ait Drogo S. R. E. Cardinalis: *Clamat*, inquit ille, *Salvator de Cruce, O vos omnes, qui trāſitis per viam attendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus; nemo eſt qui audit, nemo eſt qui cōſolatur, nemo eſt qui reſpondeat. Sitio, inquit Dominus. Quid ſitis mi Ieſus? Ergóne plus cruciat ſitis, quàm Crux? De Cruce ſiles, & de ſiti clamas, ſitio; Quid? veſtram fidem, veſtram ſalutem; veſtrum gaudium, plus animarum veſtrarum dolores, quàm corporis mei cruciatus me affligunt.* Vt rectè ille tibi accinat.

De ſacra Dom. paſſ. Thren. 1. v. 12.

Quæ petis in tantis ſitiens ſolatia pœnis,
A nobis, non à fontibus illa petis.

Hæc mihi de Cruce clamas, & carne tua ſanctiſſima, veluti mundiſſima ſindone, ſacrorum vulnerum tuorum balſamo peruncta, alligas vulnera animarum noſtrarum. ô Samaritane miſericors, & ſaucijs, atque ægris tuis compateris compaſſione inenarrabili.

Cap. 3 v. 6. Apud Iſaiam *apprehendebat vir fratrem ſuum,*

ſuum, domeſticum patris ſui. veſtimentum, inquiens, *tibi eſt, Princeps eſto noſter.* At ille reſpondebat: *Non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis, neque veſtimentũ, nolite conſtituere me Principem populi.* Eia Domine Ieſu, Frater noſter es, domeſticus Patris tui, & Patris noſtri, eſto Princeps noſter. Nam Medicus es, & quidem omnipotens, panis tibi eſt in domo tua, *panis*, inquam, *qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo.* Veſtimentum tibi eſt, & quidem *nuptiale*, quo qui induitur, è cœleſti menſa tua non eijcietur. Eſto ergo Princeps noſter, ô Medice omnipotens, & ſana animas noſtras, quia peccavimus tibi.

Ioan. 6. v. 33.

Matth. 22. v. 12.

Honora, inquit Sapiens, *Medicum propter neceßitatem.* Quæ verò animarum noſtrarum major neceſſitas, quàm eas criminum ſuorum morbis, atque vulneribus mori æternam mortem. Hanc ut evadamus de Sapientis conſilio omnipotens nobis Medicus, honorandus eſt. At quis Medicus tantò in ægrum ſuum fuit affectu, tantaque illum

Ecc:leſ. c. 3. v. 1.

Digitized by Google

lum proſecutus eſt commiſeratione, ut pro illo ſanitati reſtituendo, ejus in ſe morbos ſuſcipere, vulneribus confici, ſanguinem ſuum profundere voluerit? Voluit id, teſte Iſaia, Salvator;
Cap. 53. v. 4. *Qui verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, & livore eius ſanati ſumus*; & vti ait S. Auguſtinus; *Suſcepit omnes infirmitates noſtras, ne æterna eſſet infirmitas noſtra. Neſciebam*, in-
Serm. 3. de Vigil. Nat. Dom. quit Bernardus, *ſanus mihi videbar, & ecce mittitur Virginis filius, Filius Dei altiſſimi, & iubetur occidi, ut vulneribus meis pretioſo ſanguinis ſui balſamo medeatur. Agnoſce, ô homo, quàm gravia ſint vulnera, pro quibus neceſſe eſt Dominum Chriſtum vulnerati, ſi non eſſent hæc ad mortem, & mortem ſempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moretur.*

Roder de reb. Hiſp. Eduardus Angliæ Rex, in prælio ſagittâ veneno infectâ læditur: ſine remedio erat vulnus Medicorum iudicio, niſi venenum quiſpiam exſugeret. Audiunt conſilium Regij cubiculi Præfecti: horrent omnes. Audivit & Regina, quæ Rege dormiente, ſuſpen-

ſo

ſo gradu, horrore nullo, amore ſummo ad lectum accedens, os vulneri intrepidè admovet, ac ſibi in viſcera venenum, & mortem attrahit, Regique vitam interitu ſuo conſervat. O amor Salvatoris amantiſſimi quàm immenſus es! Telo venenatiſſimo flagitiorum noſtrorum vulnerati omnes eramus, remedium malo huic mortifero nullum erat aliud, quàm, ut omnipotens Medicus vulnera ſua ſacratiſſima quaſi tot ora vulneribus noſtris applicaret, venena exſugeret, vitam ſibi tolleret, nobis daret.

Suavi, ac iucundo auſu medicinam hanc in vulneribus Salvatoris reperit ſancta Gertrudis, Ordinis ſancti Benedicti in Germaniâ Abbatiſſa. Hæc quodam Veneris die, dum ſacram Domini paſſionem meditaretur, ut Ieſu ſuo patienti ſolatium aliquod adferret, credens id ſibi licitum, extractis è Crucifixo ſuo clavis ferreis, aromaticos ſubſtituit. Sollicita deinde pia Virgo, quaſi levitate aliquâ peccaſſet, à Salvatore intellexit magnoperè *Lib. 5. Iuſt. divinæ piet. c. 45.*

ſibi innocentem hanc pietatem placuiſſe, atque ab eo tempore, ex ſuis ſe vulneribus, pretioſum ſanguinis ſui balſamum in animam ejus effudiſſe, ad omnes ejus ſanandas infirmitates; ſeque idem facturum omnibus, qui ſacra ipſius vúlnera, quâ decet religione, venerarentur.

De vulner. Dom. c. 5. Neque animarum tantùm, ſed corporum etiam morbos, Domini vulnera tollunt. Refert Franciſcus de Oſſuna ſolitum in Hiſpania eſſe Miſſam celebrari pro infirmis de vulneribus, ſeu paſſione Domini, pluresque ſanctiſſimo hoc ſacrificio valetudinem recuperaſſe, dum per foratas manus tot ægris impoſitas, per foratos pedes qui vicos & caſtella *pertranſibant ſanãdo omnes, per transfixum* latus omnibus ad miſericordiam patens, illi ſupplices fierent. *Lib. 2 gra. ſpir. c. 22.* Gravi capitis dolore affligebatur beata Mechtildis, invitatur à Salvatore, ut quod voluerit pro remedio, vulnus ſacri Corporis ſubeat. Remedium illa amplectitur, ſed vulneris delectum Domino relinquit, qui

qui eam ad lateris vulnus invitat, quod ipſa piâ meditatione ingreſſa, omni ſe liberam dolore protinus ſenſit.

At novus æger, aut dixerim melius antiquo-novus, qui mortalium turbæ parum curæ eſt, ſe nobis curandum exhibet. Vſitatum eſt, à Medicis ægros, non ab ægris Medicos ſuis medelam morbis quærere. Experti ſumus hactenus Dominum Ieſum non animarum noſtrarum tantùm, ſed & corporum mala, præſentiſſimo ſacrorum ſuorum vulnerum remedio curaſſe; at modò à viro nobili æquè ac pio Ioanne Huldelbergio vulneribus ſuis medicinam poſtulat ipſe, cùm ſit omnipotens Medicus. Ah quàm ingratum, quàm crudele nimis hominum genus, Salvatorem ſuum iterum in ſeipſis crucifigentium, & plagis conficientium immaniſſimis. Res eſt admiranda, & monito plena divino. Anno à Chriſto nato 1405. noctibus tribus, quæ Martis, Mercurij, ac Iovis dies, ante Pentecoſten præcedunt, Salva-

Gazet in Hiſtoria Eccleſiaſtica Belgij.

Digitized by Google

tor ſe, paludamento holóſerico cæruleo, byſſo alba ſuffulto indutum, Ioanni ſpectandum exhibuit. Majeſtate, multaque luce plena erant omnia. obſtupeſcit ille, neque viſum intelligit, neque eum, qui ſe videndum præbet agnoſcit. At continuò alia rerum facies obijcitur. Explicat Dominus paludamentum, corpus oſtendit plagis confoſſum; latuſque apertum, fontis inſtar copioſum fundens ſanguinem, & in Ioannem defluentem. Poſtulat ab illo Salvator Medicum vulneribus ſuis curandis advocari, ac percuſſores ſuos dignis ſupplicijs puniri. Ioannes illa petitione perculſus, nullum totâ viciniâ, ait Medicum eſſe, qui tot, tamque atrocibus plagis medelam afferat, neque ejus ſe eſſe autoritatis, aut poteſtatis, qui conquiſitos percuſſores iſtos meritis pœnis ſubijciat. Ad quem tum Dominus, adfer manum tuam, pertracta, & delini vulnera mea, vt hoc mihi à te ſit ſolatium, cùm remedium aliud nullum à te poſſim obtinere.

Anima

Anima mea; Tu mihi hîc compellanda es. Vir hic nobilis non dum Dominum Ieſum agnoſcit, niſi cùm viſus ſibi ingredi arcis ſuæ ſacellum, obſervat Chriſti in cruce pendentis effigiem, illum ipſum repræſentare, qui noctibus iſtis tribus conſequentibus ſe illi videndum exhibuerat plagis conſciſſum; è cujus latere ſacro cruore fuerat perfuſus. Tum Ioannes ſe damnare, ſeque Redemptoris ſui denuò percuſſorem, tantorumque vulnerum auctorem facere, atque in has voces prorumpere.

Ferree, cur te nec plagæ, nec vulnera tangunt
Illa, quibus cautes indoluiſſe ferunt?
Ferree, cur lacrymam nec ſanguinis elicit imber?
Nec, qui ſe fuſo ſanguine prodit, amor?
Nate Deo, quánam poſſum te dicere cauſa,
Tot mala, nullo nō tempore, velle pati?
Scilicet ut ſerves, à quo ſic læderis, hoſtē?
Et læſus partes conciliantis agas.
Et quiſquam tanto non cedit victus amori?
Immemor & luctus ſuſtinet eſſe tui?

Dixerat, & ſibi redditus, totum ſe Salvatori dedit, ac Iſaaci Sylvæ Monaſterio, quod Canonicorum Regularium S. Auguſtini hodie eſt, fundis ſuis in hoc attributis, initium fecit.

Eia anima mea compellanda, hîc mihi es. In oſtento illo vulneratum, atque ſanguinolentum Salvatorem non noverat vir ille nobilis. At tu ſat illũ noſti, ut viſo nullo opus ſit; dicunt Prophetæ, Evangeliſtæ ſcribunt, te illam eſſe, quæ Iudæorum manibus, immaniter adeò Salvatorem tuum habuiſti, quæ peccatis tuis illum denuo cruci affigis, & vulneribus concîdis. Poſtulat ipſe à te Medicum, neque ab alio quàm à te curari cupit, porrige ei boni operis manum, adde ſinceræ Confeſſioni, ſinceras contriti cordis lacrymas, quibus vulnera ejus balſamo veluti optatiſſimo vngas, ac lenias; dignis pœnitentiæ operibus impunita non ſint ſcelera tua, & à te velut ab optatiſſimo Medico curatum, & ſanatum agnoſcet.

CON-

Digitized by Google

CONSIDERATIO II.

Vulnera Chriſti

Fontes aquarum viventium.

AQuam petebat in deſerto populus Iſraël, pro quo Moyſes orans, ait; *Domine Deus, audi clamorem populi, & aperi eis theſaurum tuum, fontem aquæ vivæ, Et iubente Domino, percußit virgâ bis ſilicem, & egreſſæ ſunt aquæ largißimæ.* Aptè hîc B. Petrus Damiani S.R.E. Cardinalis, *Petra illa*, inquit, iuxta Apoſtolum, *Chriſtus erat. Accedit virga ad ſilicem, & haurienda populis aqua producitur adhibetur crux Chriſto, & omnium corda credentium irrigantur. Quod Sacramentũ, & ipſe Moyſes, per ſpiritum non ignoraſſe cognoſcitur, ſi eiuſdem ſubtiliter verba penſentur; Aperi*, inquit, *Domine theſaurum tuum, fontem aquæ vivæ. Neque enim tam magnificis ac divinis verbis elementum deſcric-*

Num. 20. v. 6.

Serm. de exaltat. S. Crucis.

Digitized by Google

ſcriberet, ex cavernis videlicet terræ, profluum, ac deinceps in ſeceſſuũ cuniculos egerendum. Nunquid enim dignum fuit viles aquas, Dei appellare theſaurum? Dei itaque theſaurum aquam illam proculdubio nominat, etiam aſſentiente Damiano, quæ è latere Ieſu lanceâ transfixo, cum ſanguine continuò exivit, junxitq́ue ſe manuum eius, ac pedum perforatorum divinis fontibus. Id quod diu ante B. Damianum etiam obſervarunt Severianus Gabalonenſis in Syria Epiſcopus, & Macarius Archiepiſcopus Philadelphenſis, qui ajunt, *à Moyſe, primo ictu directè in petram librato, venâ ſcaturire incipiente, ſecundo obliquè & transverſim, aquas egreſſas eſſe largiſsimas.* Ita & ex ſacra Redẽptoris cruce, ex recto & tranſuerſo ligno confecta, divino eius corpore directè, & tranſuerſim clavis, ac lancea in pedibus, manibus, ac latere percuſſo, pretioſi illius ſanguinis fontes egreſſi ſunt copioſiſſimi, quos qui *relinquẽt, confundentur, recedentes ab illis in terra ſcribentur, quia dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.* Quin-

Orat. 4. de S. Cruc.

Orat. de exaltat. S. Crucis.

Ier. 17. v. 13.

Quinque fontes in Salvatore noſtro reperit S. Bernard. I. *eſt ad abluendas ſordes* peccatorũ, II. *ad levandã ſitim* cæleſtium deſideriorum, III. *ad rigandum* ariditatem noſtram, IV. *ad cibos decoquendos*: hæ nimirum aquæ condiunt & decoquunt affectiones noſtras, ut crudæ & inſipidæ animæ noſtræ palatui divino teneræ, & ſapidæ reddantur. In Scandia, Abrahamus Ortelius, fontem eſſe ait adeò calentem, qui ſine ullo ignis adminiculo, elixet omnia. Primum fontem vocat Bernardus *Miſericordiæ*. Secundum, *divinæ Sapientiæ*. Tertium, *Devotionis*, Quartum, *Æmulationis*, *& ſancti zeli. Hos fontes, adhuc in carne viventibus nobis, in ſemetipſo Chriſtus exhibuit, Quintum, qui eſt fons vitæ, poſt hoc ſæculum repromittens: ad quem ſitiebat Propheta cùm diceret; Stitivit anima mea ad Deum fontem vivũ: Fortaſſis etiã propter hos quatuor fontes, quatuor in locis vulneratus eſt Chriſtus adhuc vivens in cruce; propter quintũ, cùm jam tradidiſſet ſpiritum, trãsforatus eſt in latere. Vivebat adhuc cùm fodiebantur ei ma-* Serm. 1. de Nat. Dom.

nus, & pedes, ut nobis adhuc viventibus quatuor fontes ex ſe ipſo proferret. Quintum protulit vulnus lateris, cùm jam exſpiraſſet, ut in ſe nihilominus quintum nobis fontem poſt obitum aperiret. Fontem hunc è Domini latere, ac corde proſilientem in Dei ſervos vidit S. Gertrudis, qui etiam in hac mortali vitâ illos cœleſti ſuavitate reficiebat.

Lib.S. Inſp.c.7.

Iſ.12.v.1. *Haurite dilectiſſimi*, clamat Bernardus, *in gaudio aquas de fontibus Salvatoris, de vulneribus Ieſu. Et primus quidem communis eſt omnibus; in multis enim offendimus omnes, & neceſſarium habemus miſericordiæ fontem, ad abluendas offenſionum ſordes: Omnes namque peccavimus, & egemus gloriâ Dei. Quia ergo nemo mundus à ſorde, neceſſarius eſt omnibus fons miſericordiæ, ex ſacris Domini vulneribus fluens.* Ita Bernardus.

Iacobi 3. v. 2.

Rom. 3. v. 23.

Conſonat his S. Ambroſius in Pſalmos, vbi loquens de vulnere lateris; *Non tabes*, inquit, *mortis de vulneribus Domini, ſed fons vitæ ſcaturivit æternæ*, ut ſcriptura nos edocet dicens; *& ſaliet aqua cum delectatione de fontibus Salvatoris.*

Pſal. 37.

Digitized by Google

ris. Exilivit ergo de latere aqua, & ſanguis, ut nos ablueremur, & biberemus ſalutem.

Hoſce SS. Ambroſij, ac Bernardi fontes expendit S. Catharina Senenſis, quando hunc in modum ſcribit F. Raymundo de Capua, Ordinis FF. Prædicatorum, Confeſſario ſuo: *Submerge te*, inquit, *in ſanguine Chriſti crucifixi, immerge te ſanguini, ſatia te ſanguine, inebria te ſanguine, veſti te ſanguine, dole ſuper te in ſanguine, recrea te in ſanguine, creſce & confortare in ſanguine immaculati, vulnerati, atque occiſi Agni;* cuius iterum ſanguine, eadem, ita ebrias vult eſſe Religioſas quaſdam Florentinas, vt quemadmodum oculis ebrioſorum vinum innatat; ita oculis ipſarum tam corporis, quàm cordis innatet ſanguis, quem amoris ignis Saluatori noſtro expreſſit. Hiſce fontibus gaudere nos vult S. Catharina, paſci, & ablui. *Lib. Epiſt. 5.*

Aquæ in urbe Hieroſolymitana, in quibus oves ad ſacrificium abluebantur, *Bethſaida* apud S. Ioannem Evangeliſtam nuncupatæ, quinque por-

porticibus cinctæ erant. Domini Ieſu ſanguis, ex quinque ejus vulneribus, quaſi totidem porticibus fluens, aquas nobis dat, in quibus ipſe, Agnus ille innocens, ſcelerum noſtrorum ſordes, quas in ſe ſuſceperat, abluens, de ſe, ac nobis immaculatum Deo obtulit holocauſtum. Ad has aquas pœnitens David anhelabat, cùm mundari deſiderans, ita oraret: *Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Ad harum aquarum fiduciam nos excitat Apoſtolus, cùm ait: *Si ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis; quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum, ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi,*

Pſ.50.v.3. *Heb.9.v.13.*

Inſtit. ſpir. l.4.c.36. Ita emundata fuit ſancta Gertrudis, quæ ſolita erat ſanctiſſimæ Trinitati crebras pro Salvatoris noſtri paſſione gratias agere, ejuſque vulnera à Paſchate, quaſi adhuc à recenti ſanguine calentia, frequenter deoſculari; quæ

pietas

Digitized by Google

pietas Domino tantopere placuit, ut ſe Gertrudi cum ſacris ſuis quinque vulneribus, aureis floribus exornatis, videndum exhibuerit, eam hac voce compellans; *Vide filia, quomodo affectu ac devotione tuâ me ornaveris; adero tibi in horâ mortis, & in his vulneribus meis lavabo te, ſubmergamque peccata tua, imò & omnium eorum qui ſimili affectu vulnera mea ſalutaverint.*

Da, obſecro Domine, ita cum pia hac Virgine, obſequiis, ita affectibus meis, totidem veluti floribus, exornare ſacra vulnera tua, ut fontes mihi ſint, in quibus à te abluar, & ſubmergas, tanquam in rubro pretioſi tui ſanguinis mari, Pharaonem meum cum exercitu ſuo omni, rebellem, inquam, voluntatem meam cum inordinatis ſuis affectionibus, quæ divinam tuam Majeſtatem perſequuntur.

Paulus Areſi, Tortonæ in Ducatu Mediolanenſi, magna virtute, ac doctrina Epiſcopus, ex Levitici libro ait, Deũ pro expurgando fœdo lepræ morbo, mandaſſe antiquæ legis Sacerdotibus, *p.2.l.14. Emb.102. cap.14.*

dotibus; ut paſſeres duos acciperent, quorum unum in holocauſtum immolarent; alterum verò liberum permitterent avolare, poſtquam ei, vti Hebræorum Magiſtri tradunt, quaſi ſectâ venâ, ex binis alis, pedibus, ac pectore ſanguinem eduxiſſent, mundandæ lepræ neceſſarium.

Nunquid anima mea ad abluendam graviſſimam illam tuam lepram, in pedibus, manibus, ac pectore, Dominus Ieſus, ſibi venas omnes aperiri voluit, quo te puram, ac mundum æterno Patri ſuo repræſentaret?

Brev. Rom. 31. Decemb. Leprâ infectus erat Conſtantinus Imperator, ſuadebant Medici, ut ex infantum ſanguine balneum ſibi pararet, eoque lavaretur. Diſſuaſerunt impiam crudelitatem ſancti Apoſtoli Petrus, & Paulus, illi per noctem viſi, monueruntque, ſi curari vellet, Silveſtrum Pontificem in Soracte monte latitantem accerſeret, à quo in baptiſmate, ſacro Domini ſanguine, ablutus, corporis ſanitatem recuperaret, & animæ obtineret; primus inter Romanos

nos Imperatores, qui fidem Chriſtianam complexus, toto eam orbe propagavit..


Cęleſtis hujus beneficij memoriam, ut omnibus retrò ſæculis Conſtantinus æternam relinqueret, Baſilicas Apoſtolorum Principibus auguſto opere Romæ duas exædificavit. In illa, quæ Divo Petro, Chriſti Vicario ſacra erat, pręter ornamēta reliqua Apſidē, ſeu Tribunā fieri juſſit opere teſſulato conveſtitam, quam Sixtus V. Pontifex Maximus ſuſtulit, ut perficiendæ novæ, & admirandę Baſilicæ, per Iuliū II. qualem nulla vidit Antiquitas, cœptæ, locum faceret, Antequam tamen ſolo illa æquaretur R. R. D. D. Canonici exemplar ejus in chartâ pergamenâ efformari, ac coloribus depingi curarunt, duorum Tabellionum fide teſtatum, ut poſteris de Conſtantini Cæſaris pietate, atque in Deum gratitudine conſtaret.

Eſt autem hic Apſidis, ſeu Tribunæ ornatus. Cernebatur in ea ſub throno regio Crux quaſi gemmis diſtincta, inſiſtens

ſiſtens pulvinari pretioſo, quod arę incumbebat, ante quam in monte ſtabat Agnus è dexteri lateris vulnere in calicem, ſanguinem copiosè fundens, de ſub cujus pedibus fontes quatuor defluebant, atque unà cum lateris & calicis rivo; ad montis radicem conveniebant in fluvium; quo ſanctum Baptiſma, è ſacro quinque Domini vulnerum ſanguine paratum, Conſtantinus repræſentare voluit; omnibus divinorum horum pignorum amorem, ac venerationem concilians; in quibus, veluti in cœleſti balneo, corporis, & animæ expurgationem obtinuiſſet. Conijce oculos Lector, in figuram hanc myſterijs plenam, eâque fruere, & affectu toto lauda Redemptorem, ac Salvatorem tuum, qui peccatis tuis expurgandis divina pretioſi ſanguinis ſui remedia tibi obtulit, offertque indies, ut adorando hoc balneo emondatus, coram ipſo ambules omnibus diebus vitæ tuæ, cujus debitor es illi, qui vitam ſuam pro te poſuit morte acerbiſſima.

Balneum

Digitized by Google



Digitized by Google

Orat. 6. Balneum hoc ſalutare nobis etiam aperit S. Gregorius Nazianzenus, quando cum Apoſtolo monet, *ut emundemur ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus*, & cum Propheta, ut *lavemur, & mundi efficiamur. Neque enim purus Saluator*, inquit, *tanto in pretio quidquam habet, quàm puritatem, & peccatorum purgationem:* quam ut conſequamur, pretioſi ſanguinis ſui balneum, in vulneribus ſacratiſſimis, divino amoris igne ſuccenſum, nobis apparavit. Divi Nazianzeni pietati ſubſcribit S. Cyprianus. *De latere tuo*, inquit, *Domine Ieſu, fons egreditur: ex hoc non ſolùm ablutionis primæ, Baptiſmi ſcilicet, venas haurimus, ſed & compunctionis, & lacrymarum perennes effluunt rivi, miſericordiarum tuarum, & totius pietatis teſtes, quando in peccata relapſis ſecunda ablutione opus eſt.*

2. Cor. 7. v. 1.

Iſ. 1. v. 16.

Serm. de Reſur. Dom.

Ad hoc argumentum appoſitè ille:

Quos cùm nō poſſet dare fontes ex oculis,
Dedit ex latere:
Ita hoc voluerat novo argumēto probatū,
Iniquitates Mortalium
Se planè abluiſſe ex corde.

Aloyſ. Iugla elog. 76.

Hic

Hic eſt fons ille, de quo Propheta Zacharias; *In die illa erit fons patens domui Iacob, & habitatoribus Ieruſalem, in ablutionem peccatorum.* Fons hic, ex communi Patrum ſententiâ, eſt Chriſtus Dominus, qui, ut ait S. Gregorius, ab æterno in ſinu Patris clauſus, quando venit plenitudo temporis, clavis, ac lanceâ, in cruce apertus fuit, ut in ſacro vulnerum ſuorum ſanguine lavaret nos à peccatis noſtris. Vnde rectè D. Auguſtinus: *Quoniam fons vitæ, tu es Domine; ad te levavi animam meam, non contra te; tanquam vas attuli eam; imple ergo me, & lava me. Eiue*, inquit Hugo Victorinus, *Domine Ieſu, culpam, quam non feciſti; munda corpus, quod plaſmaſti; lava animam, quam tuâ imagine ſignaſti.*

Cap. 13. v. 1.

Lib. 6. ep. c. 186.

In pſ. 142.

Meritò queritur D. Gregorius, quamplurimos hærere in peccatorum ſuorum ſordibus, & non expurgari, cùm tamen ſatis illis ſit proſpectum ad emundationem omnem. *Quærere*, inquit, *deberemus miſericordiæ fontes, etiamſi clauſi eſſent: Patent modò in vulneribus*

Hom. 20. in Ezech.

Salvatoris, & tamen à nobis negliguntur.

At non illos neglexit S. Catharina Senenſis, quam, vt refert Bloſius, cũ Diabolus conaretur in deſperationis abyſſum præcipitare, illa à Dei bonitate edocta, humiliter mentem ad eum elevans: *Ego,* inquit, *apertè Creatori meo confiteor, me quotidie in tenebris fuiſſe, maleq; vixiſſe: verumtamen latitabo in vulneribus Domini mei Ieſu Chriſti, & omnium iniquitatum mearum maculas, pretioſo ſanguine eius abluam, atque cum ſancto deſiderio, jugiter gaudebo in ipſo Creatore, & Redemptore meo, neque deſinam cum Propheta pro neceſſitate animæ meæ haurire in gaudio aquas de fontibus, de vulneribus Salvatoris*: quâ virginis pietate, ac fiduciâ, mox dæmon in fugam converſus eſt.

In contl. anima c. 1.

Iſ. 12. v. 1.

In Elog. eius M. S.

Catharinam imitabatur Maria Claudina, Burgunda Cœleſtina, quæ peracto quotidie examine veſpertino, vulneri lateris Domini ſe committebat, in eoque die iſtius defectus eluebat, orans ac obteſtans, ut eâ nocte, iſto in refugio, ab inimici inſidijs cuſtodiretur. Neque

Digitized by Google

Neque animæ tantùm in ſacris Domini vulneribus, à peccatorum ſordibus expurgantur, ſed novâ etiam gratiâ *ſupra nivem dealbantur*, ut canit Propheta Regius, cùm non minor ſit ſanguini Salvatoris, quàm aquis illis, virtus, quæ oves, quas nigro vellere accipiunt, albo reddunt.

Pſal. 50. verſ 9.
Plin. lib. 2. c. 103.

Iuvenis genere, ac moribus nobilis, vrbem præclaram admodum, ſibi per ſpeciem oblatam in celſo ardui montis cacumine ſitam conſpexerat, cuius ingenti deſiderio tenebatur; verùm dum flumen horret traijcere, quod montem undique cingebat & cruentum interpretari, ac dicere poſſumus, animadvertit nonnullos ſpectatæ formæ viros in eo veſtes ſuas abluere, quibus laborantibus ſubſidio veniebat alius, cultu & formâ illis diſſimilis. Ex hoc juvenis quærit, Quæ urbs? quod flumen? qui viri? Cur veſtes abluant? quis ipſe? Civitas illa, inquit hic, cœleſtis eſt Hieruſalem; flumen, *ſanguis Agni, in quo lavant viri iſti ſtolas, hoc eſt, animas ſuas*, quia *nihil coinquina-*

Angelus Manriques in Hiſtor. Ciſter. an. Chr. 1104.

Apoc.c.21. v.27. *tum intrabit in regnum cœlorum* ; illis te iunge, & qui ſint intelliges. Ego ſum Ieſus Salvator tuus, qui ſervos meos adjuvo, *quia ſine me nihil poſſunt facere.* Confirmatus hac viſione juvenis, ſæculo nuncium remittens, Monaſterium Ciſterci enſe ingreditur, in quo eos omnes agnovit, quos in ſanguine Agni, in vulneribus, ſcilicet Salvatoris, veſtes viderat abluere, qui raro virtutis exemplo, & inſigni mundæ, atque immaculatæ conſcientiæ teſtimonio, reliquis prælucebant; & factus demum Abbas, virtutibus in vitâ, ac morte clarus, beato fine quievit.

Emundemur itaque, & nos in flumine iſto, in ſanguine Agni incontaminati, in cruentis Domini Ieſu vulneribus, quæ in ſacra confeſſione, atque Communione, veluti totidem fontes, ad ablutionem peccatorum, nobis reſerantur.

CON-

Digitized by Google

CONSIDERATIO III.

Vulnera Chriſti

Advocati peccatorum.

LIti graviſſimæ, à qua omnia dependent, peccator implicatur. Actor eſt diabolus, rea conſcientia, Deus judex, quem nihil latet, cui patent arcana cordium, cujus æquiſſima ſententia revocari non poteſt; adeò ut Advocato, ac patrono perito, fideli, atque ſollicito indigeamus: ipſi enim apti non ſumus, qui cauſam noſtram, æternitatis decretoriam, agamus; ſiquidem viliſſimi tantùm terræ vermiculi ſumus, quibus neque fas eſt, neque facultas verbum ullum, coram ſumma illa Dei Majeſtate, proloqui.

Confide nihilominus anima mea, nec ſpem abijcias. Vbi Iudicis filius Advocatus eſſet, de cauſa clienti be-

Digitized by Google

ne ſperare liceret. Sed quod apud homines non licet, apud Deum permittitur. Audi Apoſtolum: *Vnus Deus*, inquit, *unus & Mediator Dei & hominum, Homo Chriſtus Ieſus.* Ecce Advocatum tuum & Mediatorem, Dei, & Iudicis filium, in quo ei bene complacuit, & complacet ſemper. Quid? tanto Patrono deſperemus peccatores?

1. Tim. 2. v. 5.

Sur. in vita 26. Feb.

S. Porphyrius Gazæ Epiſcopus, Conſtatinopolim cùm veniſſet, Arcadium Imperatorem obſecraturus, ut Idolorum templa demoliri ſibi liceret, non ignorans magni momenti rem, & quæ foret impetratu difficilis, ſe agere, ingenioſâ induſtriâ, cùm infans Theodoſius, qui illis diebus Cæſari natus erat, à ſacro Baptiſmate ad Palatium reportaretur, purpuræ puero inſtratæ ſupplicem libellum impoſuit, quaſi ab infantulo, ac filiolo, Arcadio, Imperatori ac patri offerendum, quâpiâ Porphyrij arte recreatus Cæſar, ſanctum Præſulem voti compotem fecit, ac benignè à ſe dimiſit, infantulo ei non linguâ, ſed

ſed affectu apud Auguſtum patrem patrocinante. Aptè ad hoc argumentum Bernardus *Ad Patrem verebaris accedere? ſolo vocis ejus auditu territus fugiebas? Ieſum tibi dedit Mediatorem. Quid non apud talem patrem, talis filius obtineat? Exaudietur utique pro reverentia ſua.* *Serm. in Nat. Deip.*

Ad hanc fiduciam Salvator ſanctam Mechtildem excitavit; cùm ei faſſus eſt, vulnera ſua, uti in cruce patuerunt, ita patere modò, & fore, ut ſemper pateant, ut ad Patrem pro nobis clament, & Mediatorem agant. *Filioli,* inquit ſanctus Ioannes, *hæc ſcribo vobis, ut non peccetis, ſed & ſi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum juſtum.* In quem locum D. Auguſtinus: *Ibi habes Advocatum, noli timere, ut perdas cauſam confeſſionis tuæ. Si enim in hac vita committit ſe homo diſertæ linguæ, & non timet, committis te Verbo, & periturus es? Clama, Advocatum habemus apud Patrem*; qui tot ora habet quot vulnera, tot apud patrem vocibus agit, quot ex illis ſtillas, quot ſanguinis guttas ſudit, quibus cauſæ noſtræ patrocinetur. *Ep. 1. c. 2. v. 1.*

 Hac

Hac fiduciâ more ſuo ſuaviſſimè Bernardus; *Stat*, inquit, *ante filium Mater, oſtendens ei pectus, & vbera; ſtat ante Patrem filius, oſtendens ei latus, & vulnera: Quis dubitet de venia, vbi tot exiſtunt meritorum patrocinia.*

Heb. 8. v. 1. *Talem habemus Pontificem*, inquit, *Apoſtolus, qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cælis, ſanctorum miniſter, & tabernaculi veri, quod fixit Deus, non homo. Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hoſtias conſtituitur, unde neceſſe eſt hunc habere aliquid, quod offerat.* Quid verò Pontifex noſter habeat, quod offerat, audi Rupertum Abbatem.

Lib. 4. in Ioan. *Potuit*, inquit ille, *Dominus Ieſus virtute quâ ſurrexit, clavorum & lanceæ penitus extirpare, & explanare veſtigia; ſed ſervanda erant oculis paternis, decentia Filium Dei, charitatis, & obedientiæ ſigna veneranda, noſtræ cauſæ patrocinia, noſtrique amoris æterna incitamenta, & horroris impiorum æterna incendia.* Quid gravius? quid ſuavius dici poſſet?

Apud Bloſ. Mon. Sp. cap. 1. S. Gertrudi quodam tempore pro zelo

Digitized by Google

zelo ſuo admodum ſollicitę, quòdnam, ex quamplurimis, quæ à Domino hauſerat, documentis, homini maximè eſſet utile, dictum divinitus eſt, nihil æquè nobis cõducere, quàm ut intelligamus, quotieſcumq; cogitatione pravâ, noxijs deſiderijs, operéve malo delinquimus, toties Salvatorẽ, Patri ſuo cor transfixum, manus, ac pedes perfoſſos repræſentare; ejus iram hoc ſacrificio placari; adeoque impetrari peccatori gratiam, ut à ſceleribus ſuis, per veram pœnitentiam reſipiſcat. Approbat hoc piâ ſanè, & mellifluæ ſuavitatis plenâ ſententiâ D. Ambroſius, cujus piam eloquentiam amplificare licitum mihi erit: *Ipſe*, inquit, *Chriſtus ore ſuo, felle, & aceto potato, os noſtrum eſt, per quod Patri loquimur, atque iram eius placamus: corde ſuo, quod lanceâ transfixum eſt, cor noſtrum eſt, per quod Patrem amamus: oculi ejus ſanguineis lacrymis fluentes, oculi noſtri ſunt, per quos Patrem videmus, manus eius clavis confoſſæ, manus noſtræ ſunt, per quas nos patri offerimus: pedes eius vulnerati, pedes noſtri ſunt,* Lib. 1. de Iſaac, & anima, c. 8.

Digitized by Google

ſunt, per quos, ut Filij prodigi, redimus ad Patrem; ut totus Salvator quantus eſt; & quidquid in eo eſt, nobis patrocinetur.

Apoc. cap. 8. v. 3. Admirandam hanc in nos Domini benignitatem confirmat S. Ioannes, qui altare aureum in cælo ante Deum thuri offerendo extructum conſpexit: quod aureum ego altare, cor Chriſti Ieſu divinum intelligo, in auguſtiſſima ſacratiſſimi lateris ejus Baſilica erectũ, in quo ſanctiſſimis ſuis quinque vulneribus velut totidem thuribulis offert Patri ſuo cæleſti merita vitæ, ac paſſionis ſuæ, in odorem ſuavitatis & remediũ omnis neceſſitatis noſtris, gratiſſimum ſacrificium; Iſtam ad Aram quiſque poteſt ſacerdos eſſe. Vnde pié admodum B. Damianus; *Excede*, inquit, *anima pauliſper ſenſus carnis, & irruentia corporearum phantaſmata voluptatum; ac intuere divinæ naturæ bonitatem, ſuavitatem, dignationem. Meditare poſitionem Crucifixi Corporis. Vide ſi aliquid eſt in eo, quod non peroret pro te apud Patrem.*

Serm. 1. de exalt. S. Crucis.

Apud Cartag. Tom. de Paſſ. Dom.

Marcus Antonius, Orator Romanus, cùm apud Senatum, reum quempiam

piam defendendum ſuſcepiſſet, arre-pto illius ſago, multis confoſſo telis, ſanguine conſperſo, ac teſtante vulnera, quæ pro patria acceperat, magis ad clementiam, hoc ſpectaculo Iudices, quàm eloquentiâ ſuâ commovit. Salvator noſter, inquit Apoſtolus, cœlum ingreſſus eſt, *ut appareat vultui Dei pro nobis, utque reſervatæ in corpore plagæ*, uti ait S. Cyprianus, *ſalutis humanæ à patre exigant pretium, & obedientiæ donativum.* Et D. Anſelmus pari pietate, ac fiduciâ; *Ingreſſus eſt*, inquit, *Salvator in cælum, ut appareat præſentiæ, ac benevolentiæ Dei patris, intercedens pro nobis & ſacra vulnera oſtendens, quæ pro redemptione noſtra pertulit. Miro enim & ineffabili modo, eum, qui nihil poteſt obliviſci, qui ſemper miſereri paratus eſt, abſque intermiſſione, Dominus Ieſus admonet, quàm congruè hominum miſereri debeat, pro quibus, ipſe cum morte confligens, vulnera hæc reportavit.* Ita Anſelmus.

Heb. 9. v. 24.

Serm. 3. de Bap.

In Ep. ad Heb. c. 9.

Ioannes, eo nomine ſecundus, Portugalliæ Rex, Paſſioni Domini mirè addictus, votum fecerat nihil ſe unquam

Vaſcon. de Reg. Luſit.

quam negaturum, quidquid, interpoſitis quinque Salvatoris vulneribus, rogaretur. Die Veneris ſancto, ad templum eunti, ut Crucifixum Dominum, de more veneraretur, occurrit mulier, quæ per Chriſti mortem, ac vulnera marito capitis damnato veniam, vitamque orabat: Majora, inquit Rex, vellem Interceſſoribus ac Mediatoribus iſtis, à me poſtulaſſes, vitam dono marito, pro amore ejus, qui die hoc, æternam vitam, ſuo nobis ſanguine, ac morte donavit. Et Deus, cujus paternus affectus in filij ſui dilecti vulneribus ſpirat, nō miſereatur noſtri, quando his, veluti totidem patronis, apud ipſum vtimur.

Philip. Servius de arte bene mor. Piè omninò, atque nobis hîc opportunè Ioannes Taulerus vir notæ pietatis, ac doctrinæ, ait; plurima nos à Deo non impetrare, quia illa per Salvatoris vulnera poſtulare negligimus.

Serm. de SS. Iuven. Pietatem noſtram in ſanctos Martyres provocat S. Chryſoſtomus, cùm ait, eos *abſciſſa capita manibus geſtantes, & in*

Digitized by Google

in medium afferentes Deo exhibere, & quacunque poſtulant, nobis impetrare. ſi hoc ſervi poſſunt, quid non apud Patrem filius poterit, illi pro nobis transfixum latus ac cor, pedes atque manus perfoſſas, repræſentans? *Habemus*, inquit Apoſtolus, *novi teſtamenti Mediatorem, & ſanguinis aſperſionem, meliùs loquentem, quàm Abel:* Dicam; & meliùs loquentem, quàm Martyres, quia clamant hi, & ille: *Vindica Domine ſanguinem noſtrum, qui effuſus eſt.* At ſanguis Ieſu, per vulnera, quaſi per tot ora, miſericordiam implorat, & obtinet. *Ideo,* inquit Anſelmus, *ſanguis Domini loquitur meliùs quàm Abel, quia ſanguis Abel mortem parricidæ fratris petijt, ſanguis autem Chriſti vitam perſecutoribus impetravit; ſanguis Abel expetit vindictam; ſanguis Chriſti miſericordiam; ille uni nocuit; iſte multis profuit.*

& Max. m. m.

Heb. 12. v. 24.

Geneſ. 4. v. 10.

Præterire hîc non licet virginem illam, eximium Belgij noſtri decus, ſanctam Ludgardẽ, cui alia omnia cogitanti, uti Domini Ieſu vulnera viam ad ejus amorem, atque obſequium aperue-

Sur. in vit. 16. Iunii.

peruerunt; ita & ipſe eam in horum pro peccatoribus patrocinio, ſibi ſociam adlegit. Venit enim ad illam Salvator, & nudatis lateris, manuum, ac pedum vulneribus: *Vide*, inquit, *mea Ludgardis, ut vulnera mea clament ad te, ne fruſtra fuderim ſanguinem, mortemque ſuſtinuerim.* Ad ſpectaculum hoc ſimul ac vocem, petit pia Virgo, quis ſit ille vulnerum clamor? *Vt* inquit Dominus, *precibus, ac lacrymis tuis, mecum Patris iram extinguas, ne peccatores in cineres redigat.* Alio tempore voluit Salvator, ut ſecum, ſeptenni jejunio, Patrem mundo reconciliaret, quod dum illa facit pane ſolo, leguminibus, & aquâ victitans, patente cœlo Ieſum videt vulnera ſua recenti ſanguine madentia, jejuniis ſuis juncta, pro peccatoribus, Patri repræſentare: ſibique deinde dicere; *Cernis filia, quomodo me totum offeram Patri tuo, pro meis peccatoribus? Ita & volo, ut te quoque totam mihi offeras pro meis peccatoribus, & iram meam illorum in ſupplicium accenſam avertas.* Quàm dulcis, quàm amabilis vox hæc
eſt

eſt in auribus peccatorum , quando eos toties peccatores ſuos vocat Dominus Ieſus; qui duobus præterea locis eâdem nomenclaturâ in vita Sanctæ hujus utitur, perinde ac ſi peccatores pignora eius electa , ſolæque illi deliciæ forent, illoſque ſacris ſuis vulneribus, quaſi totidem divinis annulis, gemmarum inſtar, inſertos gereret, dum vultui Dei, hoc veluti ornatu decorus, pro illis apparet; immenſum ſuum in hoc, peccatoribus affectum explicans, dum ſanctorum ſuorum pro illis apud patrem patrocinium, in Ludgarde etiam viſus fuit implorare.

Volebat Paulus *in Eccleſia Corin-* 1.*Cor.* 14.
thijs quinque verba loqui ad inſtructio- *v.* 11.
nem. Ad pœnitentiam ſuam, & inſtructionem noſtram quinque verba Publicanus Ieroſolymis in templo locutus eſt, *Deus propitius eſto mihi peccatori.* *Luc.* 18.
Quinque Mediatores, atque Advoca- *v.* 13.
tos in Domini ſacris habemus Vulneribus, qui conſtãter quinque hęc verba urgeant, & cum Salvatore repetant;

Digitized by Google

Deus propitius eſto meis peccatoribus. Et tot potentibus Mediatoribus quomodo non erit propitius?

Lib. 10. Confeſſ. c. 43. Concludo verbis, & affectu ſolito D. Auguſtini, quibus alloquitur cœleſtem Patrem; *Mediator*, inquit, *quem ſecretâ tuâ miſericordiâ demonſtraſti hominibus, & miſiſti, Mediator ille Dei, & hominum, Homo Chriſtus Ieſus. Quomodo nos amaſti Pater bone! qui filio tuo unigenito non pepercisti, ſed pro nobis impijs tradidiſti eum. Quomodo nos amaſti! pro quibus ille, qui non rapinam arbitratus eſt, eſſe æqualis tibi, factus eſt ſubditus uſque ad mortem, mortem autem Crucis; & nunc ad dexteram tuam ſedens*, ac vulnera ſua oſtentans, *interpellat pro nobis.* Quomodo nos amaſti Pater bone!

CONSIDERATIO IV.

Vulnera Chriſti,

Vrbes refugij.

LEges non omni crimini aſilum concedunt; concedit Salvatoris

erga

erga nos pietas in ſacratiſſimis ſuis vulneribus quantumcumque enormi. Quod obſervaſſe videtur Dongardus Scotorum Rex, qui pro ſuo in Salvatorem affectu ac religione, loca omnia illi, ac ſacroſanctæ eius cruci ſacra, ſervis, fugitivis, ſontibus, cuiuſvis flagitij reis, toto regno ſuo, aſilum, publico edicto, eſſe juſſit; cavitque, ne quamdiu in illis laterent, ullâ auctoritate, ad judicium raperentur, memor procul dubio Dominum peccatoribus omnibus contra juſtiſſimam Patris ſui cæleſtis iram, in ſacris ſuis vulneribus ſecuriſſimum refugium præſtare. *Hect. Boet. lib. 18. Hiſt. Scot.*

Tres urbes refugij ſtatuerat Moyſes, Ioſue ſex, in quas, qui homicidij rei erant, ſe reciperent. Magne Deus, quantorum criminum me reum agnoſco! leve eſt homicidium, cùm me quaſi parricidam tui conſidero. Quò à facie iræ tuæ confugiam? aut quis ſecuritati meæ locus aperietur? *Deut. 4. v. 43. Ioſ. 20. v. 8.*

Ne time peccatrix anima, civitatẽ refugij unam tibi conſtituo, in quam te recipias munitam adeò, ut neç cœlum,

 nec

nec terra, nec inferi adverſus eam poſſint prævalere, de qua eleganter ille,

Iugl. Elog. 86.

In civitatem refugij
Quo facilior ſit reis ingreſſus,
Non in uno dumtaxat latere
Sed & omni angulo,
Suam pandi januam decuit.

Civitas hęc eſt Cor Domini Ieſu quinque patens januis, qui pro te mortuus & crucifixus eſt; quem tamen iterum peccatis tuis in te crucifixiſti, uti ait Apoſtolus, adeò tamen clemens, ac benignus eſt, ut in hoc ſuo Deicidio, tibi pro refugio, latus ac cor ſuum offerat, ſacris ſuis quatuor alijs vulneribus, ut in ipſo ſecurior lateas, quaſi totidem propugnaculis communitum. Si quis fugerit, in aliquam ſcilicet deſignatarum urbium, vivet, ait, Scriptura. *Tutum refugium*, ait Auguſtinus, *mihi præbent vulnera Salvatoris. Columba mea in foraminibus petræ. Si, juxta Apoſtolum* inquit B. Petrus Damianus, *Chriſtus petra eſt, foramina petræ Redemptoris ſunt vulnera, in quibus foraminibus columba ſubſiſtit, quia quælibet anima tatam*

Heb. 6. v. 6.

In Man. c. 22.

Cant. 2. v. 14.

lib 7. ep. ad Blancam.

Digitized by Google

tam propriæ ſalutis ſpem, in ſui Redemptoris paßione conſtituit. Ibi velut ab accipitris incurſu defenditur, quia à cunctis malignorum ſpirituum inſidijs cuſtoditur. Et Bernardus Damianum ſecutus, *Columba,* inquit, *mea in foraminibus petræ. Petræ foramina rectè quidam vulnera Salvatoris interpretatur. In his paſſer nidum ſibi, & turtur domum invenit: in his columba ſe tuetur, & ſecura circumvolantem intuetur accipitrem.* *Serm. 61. in Cant.*

In vita Xenocratis, memorabilis refertur eventus, qui ad rem noſtram mirè facit. Paſſerem inſequebatur accipiter, ille volatu vario, ac flexu, hoſtem deludens, tandem anhelus, & jam jam capi, ac laniari metuens, ad Calchedonem, ſub fago intuetur Senatum conſidere, in cujus medium convolans, pro áſilo Xenocratis ſinum occupat, qui aviculæ miſertus, atque ad Collegas converſus, oportet, inquit, profugam, ac ſupplicem protegere. Eia anima mea, te accipiter tartareus, ut paſſerem mox diſcerpendum inſectatur, ecce Senatum ſacra- *Manut. in Apoc. l. 7. n. 135.*

tiſſimum in Calvariæ monte ſub Crucis arbore congregatum, mortuum ſcilicet pro te ſalvatorem in virgineo matris gremio depoſitum, Ioannem Zebedæi, Ioſephum Arimathæum, Nicodemum, alioſque de ſepultura defuncti Ieſu conſilia agitantes: Conijce te, ſi rapacem cupis hoſtem evadere, in ſacrum hunc conſeſſum, confuge in ſinum, imò in latus Salvatoris

Serm. 61. in Cant. tui. *Nam ubi tuta, firmaq; ſecuritas*, inquit Bernardus, *niſi in vulneribus Salvatoris? tantò illic ſecurior habitas, quantò ille potentior eſt ad ſalvandum. Fremat mundus, premat corpus, diabolus inſidietur: ne time, quia in foraminibus petræ ſecura es.* Hæc Bernardus.

Serm. 61. in Cant. Age itaque, anima mea, *totâ devotione* iterũ cum Bern. *in Chriſti vulneribus, & jugi meditatione demorare, inde Martyrij, omniſque adverſitatis tolerantia, inde tibi magna fiducia apud* Deum *altiſſimum. Nam quid eſt, quod ſtet Martyr tripudians, ac triumphans, toto licet laceratus corpore, & rimante latera ferro, non modò fortiter, ſed & alacriter, ſacrum videns è carne ſua*

ebulli-

Digitized by Google

ebullire cruorem? Tryphon miles fortis, & ſanctus, in equuleo torquetur, & ferreis ungulis excarnificatur. Deinde ſublimes pedes clavis candentibus ad trabem confixus, fuſtibus cæditur, facibus aduritur; Conon ante Imperatoris currum, pedibus, clavis transfixis currere jubetur, & curſui immoritur. *Vbinam*, quærit Bernardus, *tum Martyrum erat anima? nempe in tuto, nempe in petra, nempe in viſceribus Ieſu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum.* Ecce anima mea Martyrum in tormentis, ecce tuum in tentatione, ac ærumnis perfugium.

Martyrol. Rom. 10. Nov.

Idem 6. Mart.

D. Bernardo Guerricum Abbatem ſubnectamus, Magiſtro diſcipulum, qui ſuaviſſimo affectu, ac calamo idem nobis aſilum aperit: *Benedictus*, inquit, *qui ut nidificare poſſem in foraminibus petræ, manus, pedeſque, ac latus perforari ſibi tulit, & ſe mihi totum aperuit, ut ingrediar iu locum tabernaculi admirabilis, & protegar in abſcondito tabernaculi ſui. Opportunum quidem petra Erinaceis refugium, ſed & habitatio grata columbis, cujus foramina*

tot vulneribus, toto ferè corpore patentia, & veniam offerunt reis, & gratiam conferunt iuſtis.

Imò verò, pergit Guerricus, *tuta habitatio, fratres mei, turriſque fortiſſima à facie inimici, piâ ac fideli meditatione Chriſti Domini vulneribus immorari, fideque, & amore crucifixi animam ab æſtu carnis, à turbine ſeculi, ab impetu Diaboli contutari. Supra omnem gloriam mundi protectio eſt hujus tabernaculi, videlicet in vmbraculum diei ab æſtu, in ſecuritatem, & abſconſionem à turbine, & à pluvijs, vt per diem ſol non vrat te in proſperitate, nec turbo moveat in tempeſtate. Ingredere igitur in petram, ô homo, pone tibi latibulum in Crucifixo. Ipſe petra, ipſe humus, quia Deus & Homo. Ipſe petra forata, humus foſſa, quia foderunt manus meas, inquit, & pedes meos. Abſcondere itaque in foſſa humo à facie timoris Domini, hoc eſt ab ipſo fuge ad ipſum, ab irato tibi ad vulneratum pro te; à Iudice ad Redemptorem; à tribunali ad crucem; à juſto ad miſericordem; ab eo qui percutit terram virga oris ſui, ad eum qui inebriat terram ſtillicidijs cruoris ſui,*

ableo

abeo qui ſpiritu labiorum ſuorum interficit impium, ad eum qui ſanguine vulnerum ſuorum vivificat extinctum.

Quin imò non ad ipſum tantùm, ſed in ipſum fuge, in foramine petræ ingredere, in foſſa humo abſcondere, in ipſis manibus, ac pedibus foratis, in foſſo latere te ipſum reconde. Vulnus enim in latere Chriſti, quid aliud quàm oſtium in latere Arcæ ſalvandis à facie diluvij, illud tamen figura, iſtud autem veritas, ibi non modò ſervatur vita mortalis, ſed reparatur immortalis. Ideò quippe latus ſuum pius & miſericors aperuit, vt cruor te vulneris vivificet, calor te corporis refocillet, ſpiritus cordis, quaſi patente & libero meatu, adſpiret. Ibi tutò latebis donec tranſeat iniquitas; ibi nequaquam algebis, eò quòd in viſceribus Chriſti non frigeſcit caritas; ibi delicijs afflues, ibi gaudijs ſuperflues. Vt altiſſimum, ſecuriſſimum, ſuaviſſimum poſuerit nobis Dominus ſacrorum ſuorum vulnerum refugium; quod eximiè nos Guerricus docet.

Ad idem ſe invitabat beatus Vbertinus de Caſali, è Sancti Fraciſci fa- *Anonymus tract. Ital. de paſſ.*

tot vulneribus, toto ferè corpore patentia; & veniam offerunt reis, & gratiam conferunt iuſtis.

Imò verò, pergit Guerricus, *tuta habitatio, fratres mei, turriſque fortiſsima à facie inimici, piâ ac fideli meditatione Chriſti Domini vulneribus immorari, fideque, & amore crucifixi animam ab æſtu carnis, à turbine ſeculi, ab impetu Diaboli contutari. Supra omnem gloriam mundi protectio eſt hujus tabernaculi, videlicet in vmbraculum diei ab æſtu, in ſecuritatem, & abſconſionem à turbine, & à pluvijs, vt per diem ſol non vrat te in proſperitate, nec turbo moveat in tempeſtate. Ingredere igitur in petram, ô homo, pone tibi latibulum in Crucifixo. Ipſe petra, ipſe humus, quia Deus & Homo. Ipſe petra forata, humus foſſa, quia foderunt manus meas, inquit, & pedes meos. Abſcondere itaque in foſſa humo à facie timoris Domini, hoc eſt ab ipſo fuge ad ipſum, ab irato tibi ad vulneratum pro te; à Iudice ad Redemptorem; à tribunali ad crucem; à juſto ad miſericordem; ab eo qui percutit terram virga oris ſui, ad eum qui inebriat terram ſtillicidijs cruoris ſui,*

ab eo

Digitized by Google

abeo qui ſpiritu labiorum ſuorum interficit impium, ad eum qui ſanguine vulnerum ſuorum vivificat extinctum.

Quin imò non ad ipſum tantùm, ſed in ipſum fuge, in foramine petræ ingredere, in foſſa humo abſcondere, in ipſis manibus, ac pedibus foratis, in foſſo latere te ipſum reconde. Vulnus enim in latere Chriſti, quid aliud quàm oſtium in latere Arcæ ſaluandis à facie diluvij, illud tamen figura, iſtud autem veritas, ibi non modò ſervatur vita mortalis, ſed reparatur immortalis. Ideò quippe latus ſuum pius & miſericors aperuit, vt cruor te vulneris vivificet, calor te corporis refocillet, ſpiritus cordis, quaſi patente & libero meatu, adſpiret. Ibi tutò latebis donec tranſeat iniquitas; ibi nequaquam algebis, eò quòd in viſceribus Chriſti non frigeſcit caritas; ibi delicijs afflues, ibi gaudijs ſuperflues. Vt altiſſimum, ſecuriſſimum, ſuaviſſimum poſuerit nobis Dominus ſacrorum ſuorum vulnerum refugium; quod eximiè nos Guerricus docet.

Ad idem ſe invitabat beatus Vbertinus de Caſali, è Sancti Fraciſci fa- *Anonymus tract. Ital. de paſſ.*

Dom. In arb. vitæ crucifixæ Ieſu. l. 1. c. 9.

familiâ, vir doctiſſimus ac religioſiſſimus, *Veni*: inquit, *anima mea, & ingredere benedictam domum tuam. Quid foris manes? profuge ad locum tabernaculi admirabilis, ad terram promiſsionis, ad ſacratiſsima ſcilicet Domini Ieſu vulnera, non jam lacte, & mille, ſed divina benignitate, & ſuavitate manantia. Ingredere ergo, & caveto egredi cor divinum, & amabile Salvatoris tui, in quo es quidquid es, & extra quod non bene es. Nam, non eſſe cum eo qui vita eſt & omnia eſt, nec vivere, nec eſſe eſt. Dina egreſſa eſt, ut videret filias regionis alienæ, & ſe vanitate illarum paſceret, & periit. Semei Hieroſolymâ egreſſus eſt, ut ſervos ſuos, mundi ſcilicet honorem, & gloriam quæreret, & trucidatus eſt. Prodigus ille egreſſus paternâ domo, abiit in regionem longinquam, & tantùm non fame eſt abſumptus. Occlude itaque anima, cordis Ieſu oſtium, in hoc cubiculo te contine, in hac urbe refugii; in qua ſecurâ, nullum hoſtem timeas; extra quam cum Dina, Semei, ac Prodigo neceſſe eſt ut pereas, uti peribat quiſquis in lege veteri, extra refugii urbē deprehendebatur.*

Verùm

Digitized by Google

Verùm quando opportunius ad hoc aſilum confugiemus? Refert Archidiaconus, olim Sacerdotem ſacram Euchariſtiam per plateas deferentem, pro aſilo fuiſſe. Ad hoc idem confuge anima mea, cùm è Sacerdotis manibus ſacratiſſimo Domini corpore reficeris. Patent enim tum tibi ejus manus, pedes, ac latus, ut in illa tanquam in ſecuriſſimum aſilum te recipias. *In cauſ. quæſt. 17. q. 2.*

Neque tantùm dum vitâ fungimur, ſed etiam cùm eâ defungimur, ad has refugij vrbes nobis confugiendum eſt cum Sancto Præſule Eligio, qui animam agens: *Aperi*, inquit, *Domine, aperi mihi latus tuum, & cor divinum lanceâ apertum, ut Principes tenebrarum, non occurrant mihi, nec me conturbent poteſtates aëris hujus, ſed hoc ſanctum vulnus tuum protegat me, & potentia tua defendat me.* Ita & Maria à S. Benedicto Ordinis S. Dominici, quæ in extremâ vitæ luctâ Chriſti crucifixi imaginem in hæc verba compellans; *Ieſu dilecte mi*, inquit, *per miſericordiam tuam magnam* *In vita eius.* *Ioan. Lopez. p. 4. Hiſt. Ord. S. Dom.*

gnam te obſecro. ut in agone hoc meo ad reparandas, & confirmandas deprælianti͛s cum hoſte tartareo animæ meæ vires, de illo ſuaviſsimo liquore tuo, mihi haurire liceat, qui ex divino latere tuo lanceâ percuſſo, profluxit, quando in cruce, extremo agone ſuperato, emiſiſti ſpiritum. Exaudita eſt Maria pro ſua pietate, ac fiducia; & manibus à cruce revulſis ad ſe perfugientem complexus Salvator, os eius virgineum lateri ſuo ſacroſancto applicuit, & divino ſuo ſanguine recreatam, in ſempiternæ beatitudinis, ac ſecuritatis aſilum admiſit.

Et tu anima mea exemplis hiſce edocta, toto cordis affectu exclama vivens, ac moriens.

O bone Ieſu exaudi me,
Intra vulnera tua abſconde me.

CONSIDERATIO V.

Vulnera Chriſti,

Remiſsio debitorum noſtrorum.

CArolo V. magno Cæſari Antverpiam ſuam viſenti, Mercator prædives,

dives, in ampliſſimo conclavi luculentum ex cinnamomo, alijſque aromatibus ignem ſtruxiſſe fertur: diſplicuit Cæſari prodigalitas; perplacuit tamen illi eiuſdem inſignis munificentia, quâ flammis Chirographum injecit multorum millium aureorum, quos Cæſar illi debebat.

Tali & nobis igne opus eſt, ut in eo *Chirographum decreti* exuramus, quod iuxta Apoſtolum, *nobis contrarium*, & uti ſanctus Thomas ait, *eſt in Dei, conſcientiæ noſtræ ac diaboli manibus. Omnes enim, qui ſe peccato obſtringunt, obligationem ſcribunt*, juxta Origenem, *reos ſe eſſe pœnarum ignis æterni, in æternum Deo perſolvendarum.*

Coloſ. 2. v. 14.
Ibid.
Hom. 1. in Geneſ.

Anima mea, quæ ratio, quiſve modus ut à Chirographo hoc libereris, & reddaris indemnis? ne ut ait S. Thomas, à nobis illud exigat Deus, ne deinceps illo Conſcientia tua gravetur; ne in ſevero illo judicij die, quando debita omnia rigidiſſimè perſolvenda ſunt, eodem te dæmon oneret, & accuſet? *Venit Chriſtus*, inquit Chryſoſtomus,

ſtomus, *& invenit noſtrum paternum chi-*
Hom. 1. ad Neoph. *rographum, quod conſcripſit Adam, ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus poſterioribus peccatis.* Quis fœnus hoc diſſolvat?

O ignis qui ſemper ardes, & nunquam extingueris, omni aromate, ac cinnamomo ſuaveolentior; tu flagellis, ac ſpinis, tu crucis ligno, tu clavis ac lanceâ, tu in miſericordiâ, ac miſerationibus extructus es, in ſanguineis illis quinque conclavibus ſacratiſſimorum vulnerum Salvatoris, ut debiti noſtri in te exuratur Chirographũ, cui nos ſolvendo pares non eramus!

Alexandro Macedónum Reg Magno nuntiatum cùm eſſet, militum
Plut. in Alex. ſuorum plurimos ære alieno gravi obſtrictos eſſe, voluit ut ſinguli ſincerâ fide illud denuntiarent, ſpondens ſe omnia perſoluturum. Hoc facere cùm illi palam non auderent, nova, eaque multiplicia oſtia in palatio fieri curavit, ut ſua nomina deferentium verecundiæ conſuleret. Eia anima mea habes & cubicula tua, viſcera ſcilicet mi-
ſericordiæ

Digitized by Google

ſericordiæ Salvatoris noſtri. Habes & oſtia; ſacra ſcilicet ejus Vulnera; in illis *non corruptibilibus auro, vel argento,* 1. Pet. 1. v. 18. *ſed pretioſo ſanguine agni immaculati,* uti S. Petrus ait, debita tua perſolventur.

Egregium & illud, imò regium, quod de Ludovico XII. Galliarum Rege refertur: ubi hic deſcripta eorum nomina legiſſet, à quibus graves iniurias paſſus fuerat, cruce illa induxit, cruci Dominicæ veluti trophęum, chirographum hoc affigens, ipſius Domini ac Salvatoris ſui exemplum ſecutus, qui vti Apoſtolus ſcribit; *chirographum decreti* ſeu peccatorum noſtrorum *cruci ſua affigens,* illud cruce ſua induxit, ac pretioſo ſuo ſanguine delevit, debita à nobis olim præſtanda nunquam repetiturus. Vnde rectè S. Auguſtinus; *Cautionem tuam tenuit inimicus, ſed eam Dominus crucifixit, & ſuo cruore delevit.* Et S. Ambroſius, *Delevit ſanguine ſuo atramentum Evæ; deleuit hereditatis obnoxiæ obligationem.* Et iterum: *Eramus oppignorati malo creditori, contraxeramus chi-*

Cauſin Court. S. marquez ſur la colere.

Coloſſ. 2. v. 14.

In pſal. 93.

Lib. 1. Apol. David. c. 13. Lib. 4. de Virg. p. 4.

chirographum culpæ, pœnam ſanguinis debebamus. Venit Dominus Ieſus, ſuum pro nobis effudit, & debitum noſtrum delevit. Hæc Ambroſius.

Quibus non abſimile quod piè admodum, atque eruditè B. Laurentius Iuſtinianus; Cùm inquit, *Angelus ille transfuga te in deteſtabilem peteret ancillatum, Chriſtus litrum contra te propoſitum fecit ſuum, & poſt productiones diverſas Legis, Teſtium, Oraculorum, Prophetarum, & Figurarum, tandem ſanguinem allegauit; & obtinuit atlegatio illa tuæ ſententiam libertatis. Super calculo ſmaragdino ſcriptæ ſunt litteræ, in membranâ corporis crucifixi, & firmatæ oſculo miſericordiæ, & veritatis, & iuſtitiæ & pacis, occurrentium ſibi. Denique impreſſum eſt ſigillum, plagæ ſcilicet lateris, quam in pretiùm redemptionis noſtræ, & placationem congruam iugiter exhibet ante oculos Patris.* Ita B. Iuſtinianus debitorum noſtrorum ſeu ſolutionem, ſeu remiſſionem in ſacris Domini inuenit Vulneribus.

De incendio diuini amoris c. 9.

Verùm antequam inſtitutum hoc proſequor, volet fortaſſis nonnemo ſibi

bi

bi explicari, quid B. hic ſcriptor intelligat, cùm *ſuper calculo ſmaragdino*, ait, *ſcriptas eſſe litteras*, *in membrana corporis crucifixi.* Nam quid opus ut ſcriptæ ſint ſuper calculo ſmaragdino illæ litteræ, ſi ſcribendæ erant in membrana corporis crucifixi, aut ſi in hac ſcriptæ, quam ob rem ſuper calculo iſto ſcribi debuerunt. Nodum explico. Smaragdus ſymbolum gerit divinæ miſericordiæ; in ferendis autem ſententijs, ubi de reorum quæſtionibus agebatur, calculi apud judices in uſu fuerunt, ijſque quibus A inſcriptum erat, reum abſolvebant, quibus D, damnabant.

Ab Angelo transfuga ad judicium vocatus erat homo, in ſanctiſſimæ Trinitatis Conſiſtorio cauſa agitabatur, eductus eſt ex divinæ Iuſtitiæ urna calculus ſmaragdinus, calculus miſericordiæ, calculus Abſolutionis, & flagellis, ſpinis, clavis, ac lanceâ litteræ ſcriptæ ſunt in membranâ corporis Crucifixi, ſolventis pro nobis lytrum per ſanguinem ſuum; ut non ſuper calculo ſmaragdino, ſed illo ex

Deiurna educto & nobis fauente, ſcriptæ ſint litteræ Abſolutionis noſtræ, in membrana corporis crucifixi, contra transfugam Angelum in deteſtabilem nos petentem ancillatum.

Barnabas monachus hiſt. Ciſter. l.4. c.56.

Quibus litteris provocatus B. Alquirinus Doctor medicus, in Claravalle, Ordinis Ciſtercienſis, Deo ſe dedicans, in ſublevandis ægris inopiâ preſſis, virtutem ſuam, atque artem medicam maximè commendabat: Neminem omninò abhorrebat qualicunque demum morbo afficeretur, expurgabat ulcera, oſculabatur, exſugebat; perinde acſi ſacris Domini vulneribus, fontibus illis mellifluis os admoviſſet; quos pharmacis non poterat, curabat fuſis ad Deum precibus. Cùm viri Principes, in morbis ſuis opem ejus implorarent, eam illis nunquam impendit, reddebatque facti rationem, ſe non Magnatibus, ſed pauperibus, qui Dominum Ieſum referrent, curandis, à Deo vocatum eſſe. Fuit autem hæc erga ægros inopes Alquirini caritas, & commiſeratio

Deo

Digitized by Google

Deo tam accepta, ut, cùm morte jam vicinâ, de peccatis ſuis admodum eſſet anxius, Salvator ſe illi videndum exhibuerit patentibus vulneribus, eum invitans, atque amplexans, ut oſculum his ferret, fiduciam famulo ſuo addens, certumque reddens, in illis ſacratiſſimi ſanguinis ſui pretio, chirographum debiti, quod contraxiſſet, jam pridem deletum eſſe, ac perſolutum. Atque ita liber & lætus cum Domino ſuo, ad cœlos abijt Alquirinus.

S. Gertrudis vigeſimo ſexto ætatis ſuæ anno, quodam Purificationis B. Mariæ Virginis feſto die, illo Chori loco, quo orationes ſuas tepidiùs, uti ipſa ait, ad Deum fundere ſolebat, ſolicitè cõſiderans non ambulare ſe dignè vocatione, quâ vocata erat, vidit inter ſe, & Dominum Ieſum ſibi aparentem ſepem ingentem ſpinis horridis obſitam, quâ ad illum accedere prohibebatur. Quam dum illa defectus ſuos quotidianos eſſe interpretatur, de ijſdem corde contrito dolens, & ingemiſcens, melioraque omnia ſpondens, *Inſin. divin. piet. l. 2. c. 1.*

manu prehenſa ſupra eam à Salvatore ſuſtollitur, oſtendente illi ſacratiſſima ſua quinque vulnera, veluti totidem lucidiſſima monilia, quibus ait Gertrudis, *omnium hoſtium ſuorum irritata fuiſſe chirographa, cæpiſſeque exinde infecto palato ſuo ſolum Ieſum ſapere.*

Quid non ſperemus tanto debito ſoluti? tanta ſervitute liberati? ut rectè dicat S. Auguſtinus; *Vendere homines ſe potuerunt. Venit Redemptor, & dedit pretium; fudit ſanguinem ſuum, & emit orbem terrarum.* Cui conſonat S. Leo, *Evacuatum eſt illud generale venditionis noſtræ, & lethale Chirographum, & pactum captivitatis in jus tranſiijt redemptionis.* Et iterum S. Auguſtinus; *Vendere homo ſe potuit, & venundatus fieri ſub peccato, redimere ſe ab iniquitatibus non poteſt. Ille potuit redimere, qui ſe non potuit vendere. Qui non commiſit peccatum, ipſe Redemptor eſt à peccatis, ipſe redimet Iſraël ab iniquitatibus.*

In pſal. 99.

Serm. 10. de paſſ.

In pſ. 139.

Et tu ergo anima mea, tam gravi chirographo liberata, tam grandi pretio redempta, cum Ambroſio perpende:

Lib. 1. de Virg. p. 4.

de; *Bonum ſervum conari præſtare Domino pretium, quod pro ſe ſolutum eſt. Noli aurum præſtare, noli argentum. Non divitijs iſtis te Chriſtus redemit, ſanguinem ſolvit, ſanguinem debes, ſed non potes, inquies, ſanguinem reddere. Ergo dignam te præbe tali pretio, ne veniat, & dicat tibi: Quæ utilitas in ſanguine meo?*

Uſui hic nobis, & documento erit, quod apud S. Thomam lego. Refert is ævo ſuo fuiſſe ſolitum Crucifixo Salvatori adpingere à dexteris Virginem, ab omni naturæ dote commendandam, veſte ſplendidam, coronâ pretioſâ redimitam, cratere auro, gemmiſque inſigni, ſanguinem Domini, qui è ſacro ejus latere defluebat, magna veneratione excipientiem. Adſtabat à ſiniſtris Crucifixi turpis anus, macie, ac rugis horrida, quæ eundem Salvatoris cruorem, fœdo vaſe hauriens, in terram impiè abijciebat. *Opuſc. 58. cap. 31.*

Duplicis generis animas, hæc Crucifixi Redemptoris tabula nobis exhibet, pias unas, quæ, uti Paulus ait: *Iuſtificatæ per ſanguinem Chriſti*, illo ad ſa- *Ad Rom. 5. v. 9.*

 lutem

Heb. 10. v. 28. lutem vtuntur. Impias alteras, quæ, ut cum eodem Apoſtolo loquar, *Filium Dei conculcant, & ſanguinem teſtamenti pollutum ducunt, in quo ſanctificatæ ſunt.* Miſeræ hæ; felices illæ, quibus omnis in ſanguine Chriſti eſt utilitas, ut quæ *pretio magno emptæ, glorificant, & portant Deum in corpore ſuo.*

VVLNVS PEDIS DEXTRI.



AD vulnus pedis dextri, cum vero emendationis propoſito, Deũ orabi-

orabimus , ut nos à peccatorum periculis liberet; contra tentationes, vires, & opem tribuat, atque in virtutum & bonorum operum ſtudio, deſideria noſtra augeat.

CONSIDERATIO I.

Vulnera Chriſti,

Arma animarum.

DAvid filius Iſai ovium paſtor, in arenam contra Goliathum, ſingulari certamine ingreſſus, non alijs armis, quàm fundâ, baculo, & quinque limpidiſſimis lapidibus uſus eſt, quos de torrente legerat, & miſerat in peram ſuam paſtoralem. *1. Reg. 17. v. 40.*

Philo Iudæus ait, lapidibus hiſce inſculpſiſſe Davidem nomina celeberrimorum Patriarcharum, Abrahami, Iſaaci, Iacobi. & Moyſis, poſt hos verò nomen Ioſue Iudicis, ac Ducis populi Iſraël, qui re, ac nomine, Dominum Ieſum referebat. *In antiq Iuda.*

Prodit itaque ad certamen Goliathus, obviam illi procedit David, qui

Digitized by Google

quinto lapide, Ioſue, hoc eſt, Ieſu nomine inſignito, oneratam atque armatam fundam circumagens, illum in Gigantis frontem impegit, eumque proſtravit, & turri illi carneæ enſe ſuo à cervice caput avulſit.

Habet & homo hoſtem ſuum, quem
c.40. v.10. *Behemot*, ſeu, *Leviathan* Iob appellat, cujus ferocia tanta eſt, *ut comedat ſicut paleas ferrum. Nónne militia*, cum eodem Iobo, rogat Auguſtinus, *eſt vita hominis ſuper terram? Cui enim non eſt neceſſe*
Lib. 10. Conf. c.28. *tentationes, & moleſtias pati? tolerari eas jubes Domine, non amari, nemo quod tolerat, amat, etſi tolerare amat: quamvis enim gaudeat ſe tolerare, mavult tamen non eſſe, quod toleret. Heu mihi, Domine, miſerere mei.* Ita Auguſtinus.

Contra hunc hoſtem animos nobis addit Apoſtolus, cùm ait, *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius,*
Epheſ. c. 6. v. 11. *induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli.* Verùm quæ hęc armatura Dei? non alia ſanè, quàm Davidis baculus, Crux ſcilicet Chriſti; ejuſdem funda, intellectus noſter; lapides

pides quinque limpidiſſimi, cruenta quinque Salvatoris vulnera, nomine Domini Ieſu inſignita; quę conſideratione piâ, atque attentâ quaſi fundâ circumactâ, vi, atque impetu motæ voluntatis hoſtem noſtrum proſternent; ad quem inſultando ait S. Auguſtinus; *Percuſſiſti, vulneraſti, dejeciſti, ſed vulneratus eſt pro me, qui fecit me, & de morte ſua vicit te.* Deinde Chriſtianorum Athletarum ad certamen erigens animos; *Quid vultis*, inquit, *ô Sancti, ô boni præliatores, ô fortes milites Chriſti! quid vultis? vt non ſint omnino concupiſcentiæ malæ? ſed non poteſtis. Exercete bellum, ſperate triumphum. Armate vos, ſumite inſtrumenta bellorum. Præcepta Dei* (præcepta amoris, vulnera, inquam, Salvatoris) *arma veſtra ſint.* Hæc Auguſtinus. His veluti totidem clypeis anima mea hoſtem tuum agredere, illa veluti totidem æneas baliſtas Domini Ieſu meritis oneratas, divini amoris igne accende, atque in eum exonera, & de victoria ſecura es.

Serm. 43. de verb. Dom.

Antiochus, qui ΣΩΤΗΡ, ſeu Saluator

cognomento dictus eſt, cùm aduerſus Galatas pugnaret, nec ſatis ex ſententia res ſuccederet, ut militum animos in ſpem erigeret, aiebat per quietem vidiſſe ſe, vel ſe vidiſſe ſimulabat, Alexandrum Magnum, ſe monentem ut ſalutis, ac victoriæ ſymbolum aſſumeret, idq́ue pro teſſera Tribunis daret. Symbolum autem ſibi huiuſmodi oſtenſum eſſe triangulum triplicem invicem inſertum, ex lineis & angulis quinque conſtantem, in quibus ΥΓΕΙΑ, id eſt, *Salus*, ſcriptum erat, vt ſubiecta hæc figura oſtendit.

Io. Pier. Valer. in Append. Hierogl. l. 11.



Fabulas haſce atque nugas, vana, ac profana Gentilium ſuperſtitio fingebat. Quæ enim in pentagoni teſſera ſalus, ſeu victoria ineſſe potuit? aut cur Salvatoris nomen ſibi arrogavit Antiochus? Vnicus & æternus nobis Salvator eſt *Chriſtus Ieſus*, qui in bello, quod cum tartareo hoſte pro anima gerimus, ſi ſalutis teſſera ac ſymbolo, ſacris ſcilicet eius quinque vulneribus, diuino veluti pentagono, fuerimus inſigniti, certam nobis victoriæ, ac ſalutis ſpem pollicetur.

Quantò ergo ſanctiùs, quia veriùs & religioſiùs egit Alphonſus primus Luſitanię Rex, dum cum exercitu ſuo non copioſo, à quinque Maurorum, ſeu Saracenorum Regibus obſidebatur. Anxio, Deumque tota nocte deprecanti, apparet Saluator; madentibus recenti ſanguine vulneribus, illum cohortans, ut copijs ſuis, licet exiguis, hoſtem aggrediatur, auxilium illi de cœlo adfuturum. Rex cœleſti monito erectus, nova, & non viſa hactenus arma, clypeum ſcilicet & labarum ſcutulis *Vaſcon. de Reg. Luſit.*

quin-

quinque diſtinctum, quibus quinque Domini vulnera inſculpta erant, parat; militem de conſpecto à ſe, illa nocte, crucifixo Domino monitum, in hoſtem ducit, eumque fundit, quinque Domini vulneribus fortior, ac felicior quàm Mauri illi Reges exercitibus ſuis quinque inſtructiſſimis.

Flor. Raymond. de Ortu, & Occ. Hæreſ. l. 6. c. 4.

Alphonſum imitati ſunt Angli Catholici, qui ſub exordia defectionis Regis ſui Henrici VIII. à Catholica fide; pro Eccleſiæ defenſione militum quinquaginta millium Exercitum conflarunt, cuius vexilla omnia, quinque Salvatoris vulneribus inſignita erant; in horum medio poſito calice, qui hoſtiam Ieſu nomine conſpicuam, geſtabat. Ita nobis Domini vulneribus ac ſacrâ Euchariſtiâ, ſanctoque Ieſu nomine, armis veluti potentiſſimis, communitis contra animarum noſtrarum hoſtes depugnandum eſt, neque de victoriâ dubitandum.

Coſm. Maga: præf. in Ioſue.

Vir Princeps ad ſingulare certamen ab altero provocatus, dolo uſus, cryſtallinum ſcutum detexit, idque ſoli obver-

obvertens hoſti objecit, qui radiorum repercuſſu occæcatus, manus dare, & ex arenâ cedere cogebatur. Quot Ieſu vulnera, tot nobis ſunt clypei, qui radiis divinitatis, ac meritorum eius oculos hoſtis noſtri hebetent, eumq́ue nobis ſubiiciant.

Crucifixus Saluator inſtar illius eſt turris, quæ ad Sionis arcem à Davide ædificata eſt, *ex qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium.* Nam in Cruce Dominus, veluti in turri munitiſſima, contra hoſtes animæ noſtræ appendit, non mille, ſed quinque tantùm clypeos, vulnera ſcilicet ſua ſacroſancta, clypeis omnibus validiora, ac potentiora, in quibus omnis armatura fortium, Martyrum; Sanctorum, ac ſeruorum Dei invenitur. Non enim clypei ſolùm, ſed & ſagittæ, & gladij, & haſtæ, & lanceæ, omneq́ue armorum genus nobis ſunt Domini vulnera, ad vitiorū omnium auctores hoſtes profligandos. *Cant. 4. v. 4.*

Violenta ſagitta mea abſque vllo peccato, ait patientiſſimus Iob, miſerias, ſaniem, ac vulnera afflictiſſimi corporis ſui ſagittam *Cap. 34. v. 6.*

gittam violentam appellans, nullo ſuo peccato promeritam. Sagittam violentiſſimam cruciatus ſuos, ſpinas, flagella, clauos, vulnera ſua potiori querela dicere poteſt Saluator, quæ nullo ſuo, peccato, omni noſtro, pertulit ſuper lignum. *Vulneratus eſt enim propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Quinque ſtellas in cœlo concurrere obſeruant Aſtrologi, quæ ſagittam formant, eum qui hac arcui impopoſita minatur, ſagittarium dicunt. Hanc & nobis ſagittam offert Saluator, ſtellarum quinque vulnerum ſuorum validam & felicem quâ Crucis ſalutiferæ arcui immiſsâ hoſtis omnis tartareus proſternitur. Quod præclarè S. Leo; *Claui*, inquit, *illi, qui manus Domini, pedeſque transfoderunt, perpetuis diabolum feriunt vulneribus, & ſanctorum plagæ membrorum (totidem velut ſagittæ) inimicorum fuerunt interfectio poteſtatum.* Ita potens eſt hæc turris noſtræ armatura, quâ, vt cum S. Cypriano Epiſcopo & Martyre loquar, *Martyres ſteterunt fortiter, torquentibus fortiores,*

Serm. 11. de paſſ. Dom.

res,

res, & pulſantes ac laniantes vngulas laniata membra vicerunt: iiſdem, munitam inexpugnabilem illorum fidem, ſuperare non potuit ſæviens diu plaga repetita, quamvis rupta compage viſcerum torquerentur in ſervis Dei iam non viſcera, ſed vulnera. Aſpiciebant fortes Athletæ in certamina Ducis ſui, eiuſque vulneribus animati, & armati, iam non vulnera ſua, vulnera æſtimabant, ſed decora, & glorioſa munera, parati pro Chriſto tormenta ſubire grauiora, ſi graviora excogitare, & inferre potuiſſet tortorum inſatiabilis crudelitas.

Eodem armorum genere vt utamur, hortatur nos S. Petrus, cùm ait, *Chriſto paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini*: in Chriſto enim paſſo, ac vulnerato, cum illo certandum, vincendum, ac triumphandum nobis eſt: eſt enim Chriſti paſſio, & crux, inquit Cornelius à Lapide in hunc locum, plena armatura, ſive Panoplia, quâ debellavit peccatum, mortem, ac diabolum, vnde Doctor Angelicus, ait, Chriſtum in cruce fuiſſe

Ep. 1. c. 4. v. 1.

D. Thom. in epiſt. Pet. 1. c. 4. v. 1.

instar

inſtar equitis armati; coronam enim ſpineam illi fuiſſe pro galea, cruorem toto corpore perfuſum pro loricà, clavos pro gladio, crucem pro equo; neque lanceam defuiſſe, neque ſcutum, ſacra ſcilicet quinque eius vulnera; hâc armaturâ, mundum, carnem, ac dæmonem profligans. *Chriſto igitur paſſo in carne*, anima mea, arma te aduerſus hoſtes tuos omnes, ejuſdem paſſionis memoriâ, conſideratione, imitatione, invocatione. Iiſdem enim armis neceſſe eſt vti, & pugnare te, quibus uſus eſt, & pugnavit pro te Chriſtus; qui & tibi paratus eſt ſe armigerum præbere.

Barth. Fiſen in ejus vita 9. Oct. Vti patet in Eliſabetha Wanſia, è Leodienſi patria oriunda, quæ Chriſti patientis ſupplicia tanto affectu meditabatur, ut illa nunquam de memoria dimitteret; ſed neque ipſa à Domino relinquebatur. Totos tres annos quocunque ſe illa conferret, ille crucifixus euntem ita comitabatur, ut nunquam abiret à conſpectu; & ſi quæ fortè impuræ, ac illicitæ cogitationes

tiones animum pulſarent, arma ilicò expediebat,& revulſam à cruce dexteram pectori Eliſabethæ admovebat, hoſtemque abigebat. Ita Chriſtus ſuis ſemper eſt futurus arma, & armiger, ut ſi velint,hoſtem ſemper vincant, & de illo triumphent.

Pugnabat Ioſue contra Amalec, & ſublatis in cœlum manibus orabat Moyſes, cumque hæ, vt ait Scriptura, *graues eſſent*, & *fatigarentur*, *ſuſtentabant eas Aaron & Hur*, & de hoſte reportauit victoriam Ioſue. Pugna Chriſtiane, & hoſtem expugnabis. Suſtulit manus pro te ad Patrem Ieſus; clauis fixas ſuſtentant crucis brachia, non fatigabuntur. Per vulnera ſua *docent manus tuas ad prælium & digitos tuos ad bellum* & ſpondent victoriam. *Exod. 17. v. 12.* *Pſal. 17. v. 35.*

Ita pugnauit, vicit, ac triumphauit B. Chriſtina mirabilis, non illa Leodienſis Hasbana, ſed Colonienſis Agrippina,quamvis iſti par virtute,opere, dæmonum tentatione, & gratijs à divina manu liberaliter acceptis,æquè mirabilis. Huic à Dæmone vix vn- *Io. Bollandus & Godefridus Henſchenius in M. S.*

N quam

quam vlla erat requies, modò illi corpus malleis, veluti in incude, tundebatur; modò manus, ac pedes clauis terræ affigebantur, modò alijs cruciatibus afficiebatur; ſemper tamen conſtans Chriſtina non alia arma, non alios defenſores, præter Chriſti vulnera implorabat, ijſdem dimicans, ijſdem vincens, ac triumphans.

Luc. vvad. To. 2. Ann. an. Chr. 1261. n. 15.

Ita etiam pugnauit, vicit, ac triumphavit Novitius ille miles è Divi Franciſci familia, qui Chriſti in carne paſſi cogitatione, moleſtiſſimam aduerſus ſanctam vocationem ſuam tentationem conabatur ſuperare; hærebat tamen ſubinde, & hoſtem veluti auſcultans, nutabat. Adeſt Tyroni ſuo Dominus, ſacris ſuis quinque vulneribus, recenti ſanguine manantibus, conſpicuus: obteſtatur ne puſillanimitate, & inconſtantiâ ſuâ, illa renouet; Reſumpſit animum Iuvenis, ſubſidio iſto hoſtem depulit, & in viâ divini ſervitij deinceps conſtanter egit.

Apprehende hæc arma, & ſcutum (anima mea) *& exurget Dominus Ieſus in adjutorium tibi.*

CON-

Digitized by Google

CONSIDERATIO II.

Vulnera Chriſti

Lux animarum.

PRænunciavit hoc lumen Iſaias, *Cap. 62. v. 1.* cùm ait: *Propter Sion non tacebo; & propter Hieruſalem non quieſcam;* ſcilicet ejus ſalutem annuntiare *donec egrediatur, ut ſplendor, iuſtus ejus, & Salvator ejus, ut lampas, accendatur.*

Vult Propheta Salvatorem, vt lampadem, accendi: Ignile ad hoc nobis *Serm. 4. de feſto Pent.* porrigit S. Boventura, in quo lapis, chalybs, ſeu ferrum, & fomes eſt, quibus ignis excutitur, flamma concipitur, lampas accenditur. Lapis inquit S. Doctor in Scriptura, Chriſtus eſt, fomes, prompta ejus obſequendi æterno Patri voluntas, percutitur ferro, clavis ſcilicet in manibus, ac pedibus, lancea in latere, & concepto amoris igne, vti lampas accenditur, ac lucem

præbet, diu ante promiſſam, de qua
Matth. 5. v. 15. appoſitè ipſe docet; *Neminem accendere lucernam, & ponere eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt.* In obſcuriſſima plurimorum errorum nocte, à ſalutis tramite aberrabat mundus ante Salvatoris adventum, verùm cùm ad nos advenit, *po-*
C.9. v. 2. *pulus*, ait Iſaias, *qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam*, quinque quippe lucernas ſanctiſſimorum ſuorum Vulnerum accendit, & candelabro crucis ſuæ impoſuit, *ut illuminarent omnem ho-*
Io. 1. v. 8. *minem venientem in hunc mundum*, & ad virtutis, ac ſalutis æternæ viam tenendam, nobis prælucerent.

Lubet hîc cum D. Auguſtino quærere, quomodo fontes, Vulnera Salvatoris, quomodo dicantur lucernæ?
Lib. 2. c. 103. Ait Plinius fontem eſſe qui faces accendat. De fonte Solis meminit Scri-
Ioſ. 15. v. 7 ptura, an fortè, quòd & fontibus ſua
Eſther 10. v. 6. lux inſit? Apud Eſtherem, *fons parvus*
Tract. 34. in Io. *crevit in fluvium maximum, & in lucem, ſolemque converſus eſt*: Sed D. Auguſtinum audiamus in hæc Regij Prophetę ver-

Digitized by Google

verba: *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. In uſibus,* inquit ille, *corporeis, aliud eſt lumen, aliud eſt fons. Non ſic eſt apud Deum: quod lumen eſt, hoc eſt fons: qui tibi lucet, ut videas, ipſe tibi manat, ut bibas, ut te reficiat, ut te abluat.* Ita & vulnera Salvatoris, quæ ſicuti fontes nobis fuerunt ad eluendas peccati ſordes, nunc lumen erunt, quo virtutis, atque æternæ ſalutis via nobis oſtendatur. *Pſal. 35. v. 10.*

Lux hæc ſanctæ Franciſcæ Romanæ, dum Deum deprecaretur, oborta eſt. Videbat ſacra Domini Vulnera radios ſuos ejaculari Solis inſtar, in auguſtiſſimam, ac ſanctiſſimam Trinitatem, in Virginem Deiparam, Angelos, ac Sanctos omnes; fulgore novo cœlum omne coruſcabat. Obſervans deinde quâ ratione lux hæc ad homines ſe diffunderet, videbat alios uno tantùm vulnere, quoſdam duobus, nonnullos tribus, paucos quatuor, pauciores quinque, pro meritis ſuis omnes, illuſtrari: ut ſingulis conſtet, unde vitæ æternæ lumen illis oboriatur. *In eius vita.*

In vita B. Tho. de Villa noua eiuſd. Ord. Archiep. valentem.

Religioſi cujuſdam, ex Ordine S. Auguſtini, cellulã, mirâ quot noctibus luce ſplendeſcere per rimas obſervaverat Monaſterij Superior, cui tamen conſtabat eum neque lucernâ, neque candelâ uti: rogat itaque unde lumen tantum procederet, at ille ſummâ animi demiſſione, ex officiosâ, inquit, & divinâ lampade lateris Chriſti Ieſu, dum eum oro ſupplex, ut me de virtutum ſuarum, & æternæ gloriæ lumine participem faciat.

Euſeb. Nierenb. in vita.

Divinam hanc lucem etiam Franciſco Zuario Societatis noſtræ religioſiſſimo ac doctiſſimo viro illuxiſſe ferunt. Cùm enim ante Chriſti è Cruce pendentis effigiem à terra ſublimis oraret, à Collegij Ianitore cubiculum ingrediente, viſus fuit Salvator ex imagine & vulneribus ſuis radios in Franciſci vultum, ac pectus emittere, virtutis ejus, religionis ac doctrinæ teſtes.

Brev. Rom. 21. Mar.

Hac etiam luce illuſtratus fuit ſanctus Benedictus, magnus ille religioſi Ordinis in Occidente Patriarcha, cujus animam duo Monachi viderunt in

coe-

Digitized by Google

cœlum euntem, pallio pretioſiſſimo ornatam, & circum eam fulgentes undique lampades, ſimul clariſſimâ, ac graviſſimâ ſpecie virum, dicentem: *Hæc eſt via, quâ dilectus Domini Benedictus cælum aſcendit*; lampades ſcilicet, virtutes ejus erant, quæ à ſacris Domini Vulneribus lucem ſuam omnem acceperant.

Liceat hîc mihi ſacratiſſima hæc Vulnera, *quinque illas lampades* appellare, quas *quinque prudentes Virgines*, ſanctæ ſcilicet animæ, accipiunt, ut ſponſo ſuo eant obviam, ſanguine ejus pretioſo, miſericordiæ veluti oleo inſtructas, quæ ſemper ardentes, ac lucentes, eas *ad cænam nuptiarũ Agni* introducãt. *Matth.* 25.

Orabis anima mea, & obteſtaberis Salvatorem tuum, ut in diuino fulgentiſſimorum vulnerum ejus lumine tibi reſplendeat lumen humilitatis, obedientię, patientiæ, ac reliquarum ejus virtutum, ut dum ijs illuſtraris, ita *luceat lux tua coram hominibus, ut videant opera tua bona, & glorificent Patrem tuum, qui in cælis eſt.* *Matth.* 5. v. 16.

Li. de vera Innocentiæ. *Sequamur veram* hanc lucem, ait Auguſtinus, lucem, inquam, vulnerum Salvatoris; *nec ambulemus in tenebris: Tenebræ autem metuendæ ſunt morum, non oculorum; & ſi oculorum, non externorum, ſed internorum, vnde diſcernitur, non album, & nigrum, ſed juſtum, & injuſtum.*

CONSIDERATIO III.

Vulnera Chriſti,

Theſaurus animarum.

Paul. Diac. l. 3. cap. 6 de geſt. Longobard. CRux index fuit Tiberio Conſtantinopolitano Imperatori, theſauri à Narcete olim defoſſi, qui ne proderetur, familiares ſuos illius conſcios omnes trucidauit. Satis quippe illi fuit ſi eſſet, etiamſi prodeſſet nulli.

Matth. c. 13. v. 44. Aſſerit Salvator, *ſimile eſſe regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, quem qui invenit homo, præ gaudio illius, vadit, & vendit univerſa quæ habet, & emit agrum illum.* Theſaurus hic Chriſtus eſt, ne-

Digitized by Google

neque alium optamus, aut quærimus; *inveſtigabiles enim eius divitiæ ſunt*, ut Epheſ. 3. v. 6.
ait Paulus; ſtabiles ſcilicet atque æternę, mundi verò labiles, ac fluxæ. Sed quomodo theſaurus hîc inquirendus? uti alij omnes, fodiendo. Salvator autem ſpinis confoſſus, flagellis peraratus, clavis, & lanceâ perfoſſus eſt. *Foderunt*, inquit, apud Prophetam re- Pſal. 21.
gium, *manus meas, & pedes meos.* Non dicit, ait Hugo Cardinalis Carenſis, ex S Dominici familia, transfixerunt, ſed foderunt manus meas, & pedes meos, quia ex profundâ hac evacuatione ad inſtar foſſæ, exprimitur fructus, qui inde prouenit; ſicut quidam cecinit:

Foſſa parit tellus optato tempore fructus
Foſſa caro Chriſti cælica dona dabit.

Cecinit credo hæc Cardinalis ipſe, *ingredere* itaque anima mea cum Pro- Iſa. cap. 2.
pheta, *& abſcondere in foſſa humo*, Crux v. 10.
tibi index eſt theſauri in ea latentis, in Vulneribus ſcilicet ac viſceribus Salvatoris. *Bonus theſaurus, bona margarita*, inquit Bernardus, *quæ foſſo agro corporis*

Digitized by Google

P. 1. ſtim. c. 1. *Ieſu, invenitur. Ecce*, clamat S. Bonaventura, *apertus eſt theſaurus divinæ ſapientiæ, & æternæ ſuavitatis; intra vulnerum aperturam, & eum invenies. Non venit*, inquit Bernardus, *Salvator vacuè, qui non venit vacuus, nam quomodo vacuus in quo habitat plenitudo? Neque enim ei datus eſt ad menſuram ſpiritus. Denique venit in plenitudine temporis bene plenus, quem pater vnxit, & miſit plenum gratiæ, & veritatis, vt de plenitudine eius omnes acciperent* per patentia pedum, manuum, ac lateris ſacratiſſima Vulnera; de quibus eleganter ille:

Serm. 15. in Cant.

Iugl. elog. 86.

Has qui ſcrutari fodinas dilexerit,
Paupertatem non timeat:
Manant hinc divite vena theſauri,
Vnde mundus quandoque aureus fiat,

illo ſcilicet divinæ charitatis auro, quod ignitum à ſe, apud Ioannem, emi voluit Dominus.

Apoc. 3. v. 18.

Franc. Zacchin. Hiſt. Soc. Tom. 3. l. 7. n. 31.

Hos theſauros per ſpiritalem mendicationem effodere nos docuit Barbara Borromæa, Illuſtriſſima, ac pientiſſima Matrona, S. Caroli Borromæi digniſſima ſoror, Novitiatus noſtri

Novel-

Novellarienſis in Mediolanenſi Ducatu Fundatrix; ſic illa loquitur. *Siſto me, veluti inopem & mendicam coram Virgine Deipara, & throno gratiæ, glorioſa Dei Humanitate. Tum ſingulos obiens Angelorum choros, aliquid ex vnoquoque ſtipis rogo; Inde veteris Teſtamenti, deinceps Novi Beatos generatim ad Virgines uſque precata, tandem in affixo cruci Chriſto Ieſu conſiſto; me, meaque omnia, meoſque in ejus plagis vitalibus, & divino corde reponens, ac dedicans, Deique benignitatis, ac Sanctorum patrocinio, non infructuoſam ſum experta mendicationem.* Invenerat nimirum, in ſacrâ & foſſa Dominici corporis humo theſaurum vitæ, & ſalutis ſuæ, altè defoſſum; inveniendum etiam à piè quærentibus, atque Illuſtriſſimam, ac pientiſſimam Matronam hanc imitantibus.

Sunt profectò hæc ſacra Domini vulnera *quinque illa talenta*, quæ ipſe, non *peregrè proficiſcens*, ſed à peregrinatione ſua in patriam revertens, dedit nobis, ut in ijs *alia quinque ſuperlucremur*, omnem ſcilicet gratiarum abundan- Matth. 25. v. 20.

tiam;

Digitized by Google

tiam, eoque lucro provocatus Dominus, ponat nos *ſuper quinque civitates*, ſenſibuſque noſtris quinque dominemur. Eia ergo anima mea, noli divina hæc talenta *ſudario* oblivioſo involuta negligere; *ſed da illa ad menſam*, menſam, inquam, ſacratiſſimi Corporis Salvatoris, & cœleſtem tibi uſuram reddent, ac veluti *bono fideliq́ue ſervo gaudium Domini* tibi fœnerabuntur.

Lucæ 19 v. 19.

Lib. 6. c. 4. Scribit Iſidorus in Libya lapidem reperiri, qui in exiguo orbiculo ſexaginta gemmarum colorem referat; adamantis radios, smaragdi virorem, candorem margaritarum, flammas pyropi, sapphyri notas aureas, & ſic deinceps. Ita & in ſacris ac ſanguineis Domini Ieſu vulneribus, in divinis illis veluti pyropis, obſervare eſt Angelicorum ordinum omnium gratiam, Patriarcharum fidem, Prophetarum lumen, Apoſtolorum zelum, Martyrum fortitudinem, Virginum puritatem, Sanctorum omnium virtutem: denique, ut cum Chryſoſtomo loquar, totius divinitatis, atque humanitatis Chriſti divitias.

Ioan-

Ioannes II. Portugalliæ Rex, ſui ſemper ſimilis in concepta erga Domini Vulnera religione, morti proximus, per illa à viro nobili ſubſidium pro inope familiâ rogatus, omnem ei ſupellectilem ſuam argenteam largitus eſt, donoque huic, annuum cenſum liberalem addidit. Anima mea, ſi ſacra Domini Vulnera apud Reges & Principes, terrenas opes inveniunt, quidni & à Deo cœleſtes obtineant. *Vaſcon. de Reg. Luſit.*

Erunt illa tibi ad omnem neceſſitatem *quinque illi ſicli*, de quibus ſacra Scriptura meminit: erunt *quinque illi panes hordeacei*, quibus non jam, *quinque millia virorum*, ſed orbis univerſi animæ paſcantur, & ſaturentur, nullam deinde rerum caducarum famem paſſuræ. *Num. 3. v. 47.* *Ioan. 6. v. 9.*

Iſta ſunt in vulneribus Domini animarum noſtrarum ſubſidia, iſti theſauri, quos etjam in ijſdem invenit Ioanna Guilhem, Ordinis S. Auguſtini, uti alibi dixi, Religioſa, quæ accepto à nobili matronâ præclaro munere, eoque ad Superiorem ſuam delato, *Gaſp. Macebo in eius vita.*

faſſa

Digitized by Google

faſſa eſt, nullum ſibi dari poſſe munus excellentius, nullum magis opulentum, quàm id, quod attentâ meditatione ex ditiſſimo ſacrorum Domini vulnerum theſauro, depromitur. ſciebat quippe aperuiſſe eum manus ſuas, neque manus tantùm, ſed & pedes, & latus, ut impleret omnem animam benedictione.

Fred. For. in præfat. roſæ Pent. Roſæ pentaphyllæ, de qua ſuprà, aquas, oleum, unguentum, pulveres, aliaſque ex illa confectas medicinas Regibus ſuis offerre ſolent Indi, cùm ab illis beneficium aliquod poſtulant. Nos roſæ pentaphyllæ noſtræ, ſacratiſſimorum ſcilicet Domini Vulnerum aquas, ſanguinem, merita cœleſti Patri offeramus, & à divina illa bonitate, tanto dono provocatâ, neceſſitati noſtræ gratiarum omnium theſauros impetrabimus. Quid enim non impetrent (uti plagas Domini appellat Bernardus) *flores illi rubentes, & ardentes*, Patri æterno oblati, *rubentes ſanguine paſſionis, ardentes igne caritatis?*

c. 20. v. 32. Rectè quærit Eccleſiaſticus; *Sapien-*

tia

tia abſcondita, & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſque? Magno ſanè bono nos privamus, quia theſauros illos in propatulo poſitos, & nobis obvios, quaſi abditos præterimus, & negligimus; neque in foſſam illam corporis Domini humum, cum Bernardo, ingredimur, in eaq́ue, piâ meditatione abſcondimur, ut eoſdem quæramus; quemadmodum quæſivit, & invenit ille Societatis noſtræ Sacerdos, qui animam agens, cùm magna lætitiæ ſigna vultu, animoq́ue oſtenderet, rogatus cauſam: ſi, inquit, alicujus oculis obverſaretur ingens auri, argentiq́ue vis, gemmarumq́ue pretioſiſſimarum omnis generis copia, iſq́ue certus eſſet, hæc omnia ſua eſſe, ut tanto theſauro Toparchiam aliquam nobilem compararet, nónne meritò ingenti afflueret gaudio? Ita & ego video oculis mentis obverſari lacrymas, labores, flagella, ſpinas, clavos, crucem, ſupplicia, vulnera, ſanguinem Domini Ieſu, certuſq́ue ſum inæſtimabiles haſce divitias, atque theſaurum hunc immen-

Apud Io. Euſeb. Nierenb.

Digitized by Google

immenſum meum eſſe, ut eo cœlum mihi emam; cur igitur non gaudij omnis ſigna præ me feram? Atque hoc ſolatio, & fiduciâ plenus Dei ſervus vitã concluſit. Invenerat has opes, & theſauros Bernardus, cùm ait: *Ego fidenter quidquid mihi deeſt, uſurpo ex viſceribus Salvatoris, quæ miſericordiâ affluunt, neque deſunt foramina, per quæ effluat.*

Serm. 61. in Cant.

Theſauriſa itaque tibi anima mea, theſaurum iſtum, non *in vaſis fictilibus*, ſed in vulneribus Salvatoris, *ubi neque tinea* amoris proprij, *neque ærugo*, inveterati hominis, *demolitur*, *& ubi fures* tartarei *non effodiunt*, *nec furantur. Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum erit*, uti erat ſancti illius Sacerdotis, in cuius aperto corpore, cùm cor, ſtupentibus omnibus, à chirurgo non reperiretur, tandem ab aliquo conſpectum fuit ad pedes imaginis Chriſti in cruce pendentis, ante quam preces ſuas fundere ſolitus erat, vt ubi in vita ſibi theſauriſaverat, ibi in morte conquieſceret.

Math. 6. v. 20. 2. Cor. 4. v. 7. Barri an. ſac. p. 1. c. 8.

CON-

Digitized by Google

CONSIDERATIO IV.

Vulnera Chriſti,

Fundamentum Fidei, Spei, & Charitatis.

C*Vm exaltaveritis filium hominis*, ait Salvator, in cruce ſcilicet, & in ea illũ clavis confixeritis, & lanceâ latus eius aperueritis, *tunc cognoſcetis, quia ego ſum.* Unde S. Bonaventura docet vulnera Salvatoris fundamentum eſſe Fidei, Spei, & Charitatis. Quò profundius fundamentum hoc in illis attentâ meditatione jacimus; eò altius virtutum harum ædificium exurget. *Io. c. 8. v. 28.*

Corpus, inquit Ambroſius, *in quo manſerunt inſignia vulnerum, inſignia cicatricum, quæ Dominus palpanda obtulit, cœloque inferre maluit, abolere noluit, fidem firmat, acuit devotionem*, ſpei ſcilicet in illum, ac caritatis. *p. 1. ſtim. c. 6. Lib. 10. in Luc.*

Et præclarè S. Gregorius fidei noſtræ Fundamentum idem hoc intelli-

git, ac ponit, cùm ait, *Nunquid caſu geſtum creditis, ut electus ille diſcipulus tunc deeſſet, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet? Non hoc caſu, ſed divinâ diſpoſitione geſtum eſt. Egit namque miro modo ſuperna clementia, ut diſcipulus ille dubitans, dum in Magiſtro ſuo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera ſanaret infidelitatis, plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentium Diſcipulorum profuit; quia dum ille ad fidem palpando reducitur, noſtra mens omni dubitatione poſtpoſitâ in fide ſolidatur. Dum ergo vidit Thomas, dum palpavit, hominem vidit, & Deum credidit dicens: Dominus meus, & Deus meus videndo ergo credidit, qui conſiderando verum hominem, hunc Deum, quem videre non poterat, exclamavit.* Propriâ enim virtute reſurgere ſolius Dei hominis eſt, qui uti in cruce clavis affixus mortuus, & poſt mortem in latere lanceâ percuſſus erat ut homo; ita idem à morte ſuâ poteſtate ſurrexit uti Deus; adeoque Deum illum & hominem eſſe, vulnera in glorioſo corpore reſervata teſtata ſunt, fideique

que

que noſtræ fundamentum poſue-
runt.

S.P.N. Ignatius Hieroſolymitanum iter aggreſſurus, nullos viæ comites, licet ſe offerrent quamplurimi, nullum pecuniæ ſubſidium admiſit; pro comitibus, ajebat, & omni ſubſidio, habiturum ſe Fidem, Spem, & Charitatem in Deum, cum his ſecurum ſe, ac tutum eſſe; ab his ſibi, de neceſſarijs proſpiciendum. Hiſce ſocijs, ſe loca ſacra, ſanguine Domini conſperſa veneraturum, auctioremque, ac beatiorem inde rediturum, quando ſcilicet attentâ patientis, ac vulnerati Salvatoris conſideratione, incrementum illæ virtutes accepiſſent. *Nicol. Orland. hiſt. Soc. Tom. 1. l. 4. n. 31.*

Quod ut conſequeretur, ubi primùm ſacra illa attigit loca, uti refert Orlandinus, præcipuis nobilitata ſalutis noſtræ myſterijs, ſolo illo, illis ſpecubus, montibus illis, tectorumque reliquijs, antiqua repræſentantibus tempora, ipſaſque res ante oculos ponentibus, totus in lacrymas abire, pietatis ſenſu colliqueſcere, nec os, niſi ad *Hiſt. Sect. 1. l. 1. n. 37.*

Digitized by Google

reliqua raperetur, poſſe à primis avellere; ut quando non poſſet Dominum intueri ubi eſt, intueretur ubi fuit. Ita verò urgebat virum ſanctum in Redemptorem ſuum caritas, ut optaret, arderetque illo in loco vitam ponere, & ſanguinem fundere, ubi Salvator vitam poſuiſſet ſuam, & ſuum fudiſſet ſanguinem. Reditum autem in Europam cogitans, cupidus relicta à Chriſto in cœlum ſubeunte veſtigia reguſtandi, raptim in Olivetum montem evolavit, ubi cùm pietati, atque affectui ſuo ſuaviſſimè ſatis feciſſet, ad ſancti Franciſci cœnobium revertens, Salvatorem ſuis conſpicuum vulneribus habuit viæ ſocium, & Fidei, Spei, ac Charitatis ſuę magiſtrum, ut quibus comitibus venerat Jeroſolymam, iiſdem auctior, & confirmatior (quod non multò poſt patuit) Venetias, unde ſolverat, regrederetur.

Stabant Cypri in portu, quo felici curſu fuerat appulſus Ignatius, navigia tria, mox in Italiam ſolutura. Turcicum unum, alterum Venetum, firmum

mum ac magnum prædivitis mercatoris; tertium puſillum, vetuſtate, carieque fatiſcens, cumque quidam pereprinorum inſtaret apud navis robuſtiſſimæ Navarchum, ut Ignatium ſuſciperet, ſanctum eſſe hominem, is cognito quòd pauper eſſet, ſanctis navigio opus non eſſe reſpondit: ſed brevî didicit cavillator impius re ipſa, non ita ſanctos viros navigijs, quàm navigia ſanctis opus habere. Nam cùm tres illæ onerariæ pariter vela ſecundo vento feciſſent, ſub veſperam graviſſimâ tempeſtate cortrâ, Turcica continuò perijt. Veneta propter Cyprum alliſa in ſcopulos naufragium fecit, hominibus dumtaxat ſalvis: parvula, & malè cohærens, in quam gratis, facileque Ignatio aſcenſus patuerat, quamvis multùm jactata, curſum tamen incolumis tenuit. Præfecerat quippe vir ſanctus illi pro Navarcho, & epibatis peritiſſimis, ſpem ac fiduciã in Deum, eò ſecurior, quò divina illa virtute à paſſi & vulnerati Salvatoris conſpectu ac meditatione auctior, & confirma-
 tior

tior Ieroſolymis factus, non dubitabat quin æternus Pater, *qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*, ipſi non ſolùm felicis curſum navigationis, ſed & alia omnia cum ipſo donaturus eſſet.

Rom. 8. v. 32.

Orland. in ead. Hiſt.

Quod & viſo altero confirmauit Deus, voluitque ſervi ſui Ignatij in ſe fiduciam ac ſpem non minore beneficio magis corroborare. Romam vir ſanctus, poſtquam Pariſiis novem ſibi adlegiſſet ſocios, cum Fabro, & Lainio, reliquis per Italiam ad Evangelium diſtributis, properans, toto in itinere, præſertim dum quotidie cœleſti pane reficitur, frequentia ſupra naturam divinitùs lumina recepit: Illud maximè, quod diu in optatis habuerat, animo verſabat, quemadmodum poſſet quaſi in familia Chriſti Ieſu famulus cooptari, aſſiduè ſanctiſſimam rogans Matrem, ut apud filium ſibi conditionem inveniret, id ipſum ab æterno ejus Patre flagitans, ut eum ſibi conciliaret. Itaque ſanctis hiſce cogitationibus plenus, quo die propiùs accedebat

debat ad Vrbem, cùm templum ſalutandi Numinis gratiâ ſolus eſſet ingreſſus, mente exceſſit à ſenſibus, & in ipſo contemplationis æſtu Majeſtatem Dei patris, qui filio Ieſu crucem bajulanti ſe ſuoſque amiciſſimè commendabat, clariſſima luce perſpexit, quos cùm in ſuum Ieſus patrocinium, fidemque reciperet, ad Ignatium placido ore converſus, *Ego vobis*, inquit, *Romæ propitius ero*, Ignatij in ſe ſpem ac fiduciam excitans, eo quo paſſus, ac vulneribus confoſſus fuerat ſchemate, ut & ipſe & ſocij, quos ſibi adlegerat, & deinceps in Ieſu Societatem adlegendi erant, non alijs comitibus, non alio viæ ſubſidio, quàm fide, ſpe, ac in Deum caritate, à paſſo ſuo, ac vulnerato Salvatore confirmari, & corroborari, diverſa loca peragrarent, vitamque in quavis mundi plaga agerent, animarum, ac divinæ Majeſtatis obſequio, omni in functione, conſecrati.

Habentes itaque (ut cum Apoſtolo meos in Chriſto Ieſu Socios compel- *Ad Heb. 12. v. 2.*

 lem)

lem) *impoſitam nobis* ſanctiſſimum Patriarcham noſtrum imitandi dulcem neceſſitatem, *deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ*; ut qui crucem bajulans, propitium ſe nobis futurum Ignatio ſpopondit, per eandem à nobis, difficultate omni perruptâ, ac contemptâ, animas obtineat pretioſo ſuo ſanguine redemptas.

At videamus modò quâ ratione Fides, Spes, atque in Deum Caritas à paſſo, & vulnerato Salvatore in animis noſtris roborentur.

Primum itaque fidei noſtræ fundameutum eſſe paſſionem, & vulnera Domini, eaque teſtari ipſum verum Deum, Deique filium eſſe, probatiſſimum eſt; modus tamen adſtruendi veritatem hanc, ab ea planè alienus videtur. Nam capi, ligari, ut virum ſceleratiſſimum, ad tribunalia varia abripi, conſpui, pugnis contundi, cædi cola-

phis,

phis, flagellari, coronari ſpinis, vario ludibrio exponi, cruci, inter latrones, *Iſa. 53. v. 3.* ſuffigi velut *noviſſimum* atq; peſſimum *virorum*, lanceâ deinde latus aperiri, quis dicat, iudicetque clariſſima in Chriſto Divinitatis eſſe argumenta? cùm præſertim nemo, quamvis mortalium nequiſſimus, majori contemptu, graviorique ſupplicio affici potuerit. Nihilominus omnia hæc opprobria, tormenta, vulnera, Dominum Ieſum, vt verum hominem, ita verum Deum probant, Centurione, *& qui cum eo erant*, teſtibus, qui Salvatoris patientiam, ac manſuetudinem, in graviſſimis cruciatibus admirati, cœlumque videntes, ac terram, in ejus morte commoveri, exclamarunt: *Verè filius Dei erat iſte!* *Math. 27. v. 54.*

Hoc ipſum probat Iſaias, cùm ait: *De anguſtia* (legunt in humilitate LXX.) *& de judicio ſublatus eſt, generationem ejus quis enarrabit?* Quis, inquam, eum à tot Iudicibus adeò ſeverè examinatum; vt blaſphemum à Caypha damnatum; ut amentem ab Herode *54 c. 53. v. 8.*

 veſte

veſte albâ illuſum; à Pilato Barabbâ viro ſeditioſo, latrone, homicidâ nequiorem judicatum, expendens, ac in modeſta illa, & patiente innocentia ſublatum in crucem, divinam ejus non fatebitur generationem, ac ſatis ſuperque poterit enarrare, quam & Pilatus ipſe in illo agnovit, & reveritus eſt? vt
Serm. 61. in Cant. appoſitè Bernardus; *clamat vulnus, clamat clavus*, dicam ego, clamat tota Paſſionis ſeries, *quod Chriſtus Deus ſit, & homo.*

Ac, ne cui dubium relinquatur, Chriſtus ipſe hoc de ſe teſtimonium dedit, cùm egreſſo Iuda ad eum ven-
Io. 13. v. 31. dendum, & prodendum; *Nunc clarificatus eſt*, inquit, *filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo, ſi Deus clarificatus eſt in eo, & Deus clarificabit eum in ſemetipſo, & continuò clarificabit eum.* Perinde ac ſi diceret: Iudas jam egreditur ad prodendum me, & tradendum; imminet ergo mihi crux infamis, ac dura mors, quæ adeò non cedet mihi ad ignominiam, ut per eam ſummè ſim glorificandus. In illis enim non tantùm a-
gno-

gnoſcar eſſe filius hominis,& homo,ſed & filius Dei,& Deus,cœlum enim, & terra Deum in Cruce mori teſtabuntur.

Vnde rectè Drogo S. R. E. Cardinalis occaſione verborum apud S. Lucam, *Et cognoverunt eum in fractione panis*;in myſtico ſenſu ait*: verè non cognoſceris,Domine,niſi in fractione panis. Panis caro tua eſt. Fregiſti manibus tuis corpus tuum, fregiſti vulneribus,ſcilicet corpus, quod foris apparet, & oſtendiſti medullam, ſcilicet divinitatis tuæ,quæ intus latebat;vti confractis Gedeonis lagenis, lux quæ in illis erate,ſe prodidit.* In ſacram Dom. paſſ. c. 24. v. 35. Ioſ. c. 7. v. 17.

Nabuchodonoſor, Alexander Magnus, Imperatores, Reges varij, ac Principes, eò dementiæ abrepti ſunt, ut dij à ſuis haberi & coli voluerint, etiam tonitrua, fulminaque fingentes, ut magna numina eſſe crederentur; quos tamen verus,&unus Deus miſerrimos eſſe homines varijs argumentis oſtendit, & ipſi demum confeſſi ſunt. Aliter Dominus Ieſus, qui in humilitate, & anguſtiâ, qui in flagellis, & ſpinis, Dan. 3. v. 14.

Digitized by Google

ſpinis, in clavis ac vulneribus, in cruce & probroſiſſima morte, ita ſe Deum
Phil. c. 2. v. 10. teſtatus eſt, vt *in nomine ejus omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, ac infernorum.* Vti divinè docet Apoſtolus.

Obſervant Interpretes, & inter hos Cornelius à Lapide Societatis noſtræ
Cant. 2. v. 14. in eum ſcripturæ locum; *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ,* Hebraicè legi, *Colũba mea; in receſſu ſcalarum petræ, in abſcondito graduũ maceriæ.* Habent petræ, ſeu rupes foramina, quę pro ſcalis ſerviunt: ita Alexandri Magni milites trecenti, editiſſimam, & præcipitem vel maximè rupem per ejus foramina, quaſi per ſcalas conſcendentes, in ſupremo eius vertice arcem munitiſſimam expugnarunt. Habet item maceria, murus ſcilicet carioſus, excuſſis vetuſtate hinc inde lapidibus, velut gradus ſuos, per quos etiam aſcenſus in urbes ſubinde patet, ut ſucceſſus aliquando docuit,

Ait itaque Chriſtus, qui apud Apoſtolum *petra* eſt, & in flagellato ac vulnerato corpore vera *maceria*, ait, inquam,

quam, fidelem animam alloquens: *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ*, in ſacris ſcilicet meis vulneribus commorare, per quæ, piâ meditatione, tanquam per ſcalarum aſcenſus, & gradus abſconditos, ſcandes ad intelligendam celſitudinem divinitatis meæ, cum Thoma Apoſtolo meo. *O bona foramina*, inquit Bernardus, *quæ fidem aſtruunt reſurrectionis, & Chriſti divinitatem! Dominus, inquit, meus, & Deus meus. Vnde hoc reportatum oraculum, niſi ex vulneribus Salvatoris, quæ ad divinitatem eius gradum faciunt?* Serm. 61. in Cant.

In hiſce ſacrorum Domini vulnerum gradibus à terra in cœlum porrectis, tantillum hæreamus. Aſcendit per eos Salvator ad Patrem ſuum, & Patrem noſtrum, ut per eoſdem ad Apoſtolos, & ad nos deſcenderet Spiritus ſanctus. Per hos, ſi ipſi voluerimus, non minùs, imò & certiùs, quàm per ſcalam Iacob Patriarchæ, deſcendent Geneſ. 28.
ad nos, & aſcendent à nobis ad Deum v. 12.
Angeli, neceſſitates noſtras, & vota ad ipſum deferentes, & dona ejus, ac gratias

Pſal. 63. v. 8. gratias ad nos reportantes. Per has ſcalas *aſcendat homo ad cor altum*, à terra ſcilicet, ac terrenis deſiderijs ſublevatum, *& exaltabitur* in illo *Deus*, & ille in Deo.

Pſal. 83. v. 6. *Beatus* planè ille, *cuius eſt auxilium abs te.* Domine Ieſu, qui novam hanc coronam uſurpando, per quinquies quinque orationes Dominicas, piâ ſacrorum vulnerum tuorum meditatione ordinatè diſpoſitas, intermedijs quinque ſalutationibus Angelicis quaſi per totidem ſcalas, *aſcenſiones*, & quidem purpureas, *in corde ſuo diſponit*, per quas, ad votorum ſuorum, atque omnium bonorum culmen pertingat. Longè utique felicius Salomone, qui *ferculum fecit ſibi*, cuius, inter

Cant. 3. v. 10. cætera *aſcenſus erat purpureus*, *& ejus, media, charitate conſtravit.* Tui unius causâ fecit ſe ipſe Dominus Ieſus ferculum, ô filia Ieruſalem, ô anima Chriſtiana, & in eo aſcenſum vulnerum purpureum, cujus medium ſacri lateris, imò cordis diviniſſima ſua charitate conſtravit. Nullibi ergo feliciùs

columba

Digitized by Google

columba, nullibi beatiùs anima eſſe poterit, quàm in *foraminibus petræ, quàm in caverna maceriæ*, in vulneribus ſcilicet Salvatoris, per quæ veluti per ſcalarum aſcenſus, & gradus abſconditos, cum Thoma Apoſtolo Dominum, ac Deum ſuum fide certâ agnoſcat, & deſiderio inflammato ad eum aſcendat.

Sunt etiam vulnera Domini ſpei noſtræ robur, ac firmamentum; cùm enim conſtet per illa redemptos nos eſſe, per eadem etiam ſperamus, nos æternam ſalutem conſecuturos. *Chriſtus*, inquit Apoſtolus, *in vobis eſt ſpes gloriæ*, ſcilicet per paſſionis & vulnerum ſuorum ſacratiſſimorum merita. Sed de hac ſpe dicam alibi fuſiùs. Coloſ. c. 1. v. 28.

Tertiò vulnera Salvatoris, charitatis eius in nos ſunt fundamentum. Militum unus aliquis, de exiguo in Iulium Cæſarem amore accuſabatur. Is vbi hoc intellexit, ilicò pectus nudans, vulneraque oſtendens: Hi, inquit, Cæſar, teſtes mei ſunt adverſus mendacẽs hoſtium meorum linguas, quo in te af-

fectu

fectu ſemper fuerim. Et quis in animi dejectione, dum Domini Ieſu vulneratas manus, ac pedes, perfoſſumque pectus recogitat, de ejus in ſe amore, ac benignitate dubitabit?

Ioan. c. 11. v. 37. Deflebat Saluator defunctum Lazarum, fratrem Marthæ ac Magdalenæ. Lacrymas has vident Iudæi, & exclamant: *Ecce quomodo amabat eum!* Ad mortem æternam eramus damnati omnes: vulneribus ſuis, quaſi tot oculis, & ſanguineis lacrymis defleuit Dominus miſeriam & mortem noſtram: Ecce anima mea, quomodo amabat te? Redde illi amorem tuum, neque illi tantùm, ſed & proximo tuo, qnem, ſi per charitatis januam, non admiſeris in cor tuum, neque Salvator offenſu, in ſacratiſſima ſua vulnera te admittet; quibus excludi, eſt cœlo excludi.

Lib. de tene. c. 19. Ita nonnemo alteri infenſus, ut refert Cæſarius Heiſterbacenſis, dum nocte quadam, per viſum, Chriſtum cõnſpicit Cruci affixum humi deſpectum jacere, velo tenui, & perſpicuo con-

contectum, viſus & ſibi eſt de lecto ſurgere, velumque retegere, ut venerabundus ſacra Domini vulnera exoſcularetur; ſed refixa à Cruce manu Salvator, vultu indignabundo, hominem arcet, neque ad vulnerum ſacrorum oſculum, aut ad cordis amplexum, eum admittit, qui amico verbo, cordiſque affectu proximum ſuum dedignabatur. Ita in vulneribus, ac corde Chriſti Ieſu locum non obtinet, cujus in corde locus proximo negatur.

CONSIDERATIO V.

Vulnera Chriſti,

Scholæ veræ Sapientiæ.

LOvanienſis Univerſitas inter ſex & triginta plus minus, Alumnorum ſtudijs operam navantium Collegia, titulis ſuis, atque inſignibus memoranda, unum titulo digniore, ac ſanctiore recenſet, ſacratiſſimorum

ſcilicet quinque Domini vulnerum, quæ foribus proſtant parieti immiſſa, cui liberalitate pientiſſimi, atque eruditiſſimi viri D. Marcelli à Cranendonck, olim alendis alumnis quinque, dos attributa fuit.

Habetis & vos, (ô animæ chriſtianæ) collegium, in quod vos ſuaviſſimè alendas recipiatis, non tantùm titulo tenus, ſed re ipſa, adorandorum quinque vulnerum, in divino Chriſti Ieſu corpore, charitatis & miſericordiæ dote fundatum; quaſi in mundi Univerſitate, in qua Magiſter nobis erit Dominus Ieſus, qui ſe ſolum, & unicum Magiſtrum dicit, & qui nobis à Patre conſtitutus eſt magiſter, ut illum audiamus.

Matth. 23. v. 8.

Cùm audiret aliquando S. Mechtildis in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio cantari; *Hic eſt filius meus dilectus; in quo mihi bene complacui, ipſum audite*, petijt à Patre cœleſti: mi Domine, quid à dilecto filio tuo audire debemus? cui Dominus: Audite vos eum ita vocantem; *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis,*

Matth. 17. v. 5.

Matth. 11. v. 28.

eſtis, & ego reficiam vos. Audite eum vos docentem; *Beati mundo corde.* Audite eum vobis conſulentem: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam.* Audite eum mandantem, *Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem.* Audite eum comminantem; *Qui non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Matth. 5. v. 7. Ioan. 6. v. 55. Io. 15. v. 11. Luc 14. v. 27.

Appoſitè ad rem noſtram Auguſtinus: *Magiſtrum omnes unum habemus, & in una ſchola diſcipuli ſumus. Cathedram in cruce habet, qui corda docet.* De hoc Magiſtro, & præceptore rectè Thomas à Kempis, *Cui æternum verbum loquitur, à multis opinionibus expeditur. O veritas Deus! Tædet me ſæpe multa legere, & audire; in te eſt totum quod volo, & deſidero. Taceant omnes Doctores, ſileant univerſæ creaturæ in conſpectu tuo; tu mihi ſolus loquere.* Hæc ille pro Magiſtro noſtro appoſitè. Tract. 16. in Ioan. Lib. 1. de imit. Chr. c. 3. §. 2.

Verùm ut de profectu in ſtudio noſtro magis ſecuri ſimus, Salvator, qui Magiſter nobis unicus & ſolus eſt, ipſe & pro omnibus mundi totius libris, ſo-

Digitized by Google

Apoc. 5. v. 1. lus & unicus liber erit, *ſcriptus intus & foris: intus Divinitate, quam,* ut ait Au-

Confeſſ. li. 11. c. 13. guſtinus, *ſoli Beati legunt: foris, Humanitate, conſcripta flagellis, ſpinis, clavis, lanceâ;* qui à nobis legendus eſt liber, de

Elog. 86. quo eleganter Aloyſius Iuglaris noſter.

Quid agunt characteres mortis in libro
vitæ?
Tolle, lege nobilem paginam
Trophæa ſunt, non probra.

Lib. de Humil. cap. 21. B. Laurentius Iuſtinianus Dominum Ieſum *apertum codicem* appellat, *in quo legendo, & meditando, univerſa virtutum diſciplina diſcitur. Non in membranis,* inquit, *non in lapide, non in ligno, ſed ſanguine proprio, in ſua carne, conſcripſit librum hunc Salvator; utque ab univerſis legeretur, publicè eum, in Crucis ſcilicet pluteo, expoſuit. Habet in eo foris ſimplex & indoctus quod legat; habet ſpiritualis, & perfectus, quòd intus intelligat. In eo ſcripſit charitatis compendium, perfectionis celſitudinem, virtutum normam; & totius humanæ redemptionis modum, ordinemque in hoc ſui corporis incluſit volumine. Quam ob rem*

cùm

Digitized by Google

cùm ſcribere compleſſet , nihilque ſupereſſet ſcribendum, dixit, Conſummatum eſt. Hactenus B. Laurentius Iuſtinianus, de libro noſtro, in quo eſt *theſaurus ſapientiæ, ac ſcientiæ Dei*; ut rectè D. Bonaventura dixerit, *Crucifixum ſibi omnem Bibliothecam eſſe.* *Coloſſ. c. 2. v. 3.*

In quam illum deduxerat Apoſtolus, qui etſi raptus ad tertium cœlum arcana Dei viderit, & audiverit, ad homines tamen à raptu illo reverſus, ait, *Non iudicare ſe ſcire aliquid niſi Ieſum; & hunc crucifixum*, atque ſi profiteatur arcana ſibi revelata omnia in Chriſto Ieſu crucifixo compendio contineri; quique intelligit, quæ in divino hoc abbreuiato libro legit, nihil illi vltra ſciendum eſſe, eique hunc pro omni Bibliotheca ſufficere.

Quod etiam intellexit venerabilis illa Anna Maria Ordinis S. Claræ in Sicilia, Monaſterij ſui Superior, quæ ſubditas ſibi Religioſas hortari ſolita eſt, ſi Patris ſui ſancti Franciſci virtutem æmulari cuperent, non alio Magiſtro ac libro uterentur, quàm Ieſu *In elog. vitæ eius.*

Crucifixo, quem vnaquæque in cellula ſua, in ejus effigie, præ oculis haberet.

P 1. vita cap. 63. B. Magdalena de Pazzi Novitias ſuas adhortabatur, ſi ad magnam perfectionem pervenire deſiderarent; acciperent pro Magiſtro ſuo Crucifixum, illius monitis aures præberent, eâ potiſſimùm horâ, quâ ſanctiſſimo Sacramento refectæ eſſent. Numquam enim opportuniùs diſcemus, quàm cùm apud nos, & intra nos tantus, ac talis eſt Magiſter.

Libel. Exercitio 1. Heb. 1. Hunc nobis Magiſtrum ac librum etiam indicat S. P. N. Ignatius, & unà quam in eo diſcere debeamus lectionem. *Colloquium*, inquit, abſolutâ ſcilicet Meditatione, *fiet imaginando Ieſum Chriſtum coram me adeſſe in cruce fixum*, Ecce librum; audi lectionem. *Itaque exquiram rationem, quâ Creator ipſe infinitus, fieri creatura, & ab æterna vita ad temporariam mortem venire pro peccatis meis dignatus ſit. Arguam inſuper meipſum, percunctans quid hactenus dignum memoratu egerim pro Chriſto? quid agam tandem?*

Digitized by Google

dem? aut agere debeam? Ita & ſancta Ludgardis, clauſis oculis, corporis, animæ verò apertis, Chriſti in Cruce ante ſe pendentis effigiem conſiderabat, & veluti librum ſuum, pia mente legebat, quando Salvator ſe illi oſtendit patenti lateris vulnere; cui Virgo os applicans, ex eo hauſit *illuminationem*, quam vocat Apoſtolus, *ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti*, per claram ſcilicet ejus, & redemptionis ab ipſo conſummatæ cognitionem.

Barth. Fizen in vita eius, 16. Iunij.

1. Cor. 4. v. 6.

Habemus itaque Magiſtrum & librum, ac pro Cathedra crucem: Scholas Magiſter ipſe offert, & aperit, ſacratiſſima ſua quinque vulnera; ſumus in his ſanctorum omnium condiſcipuli; in his docebimur, *quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum Crucis Chriſti, ut ſciamus ſupereminentem ſcientiæ ejus caritatem, & impleamur in omnem plenitudinem Dei*, arbitrantes cum Apoſtolo, *nihil nos ſcire, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.*

Epheſ. 3. v. 19.

1. Cor. 2. v. 2.

Gymnaſium igitur ad hanc doctrinam capeſſendam adeamus. In pri-

Digitized by Google

ma ejus ſchola, vulnere ſcilicet ſiniſtri pedis, *profundum crucis Chriſti* nobis addiſcendum eſt, ejus ſcilicet Humilitas, qui etiam latronibus paſſus eſt ſe poſtponi, medius inter illos ſuſpenſus, qui Deus erat, ſanctitas, atque innocentia ipſa; ut Nihilum noſtrum, & peccata noſtra cognoſcentes, optemus omnibus poſteriores haberi. Hac in ſchola S. Paulus, & S. Franciſcus optimè profecerant, cùm ſe peccatores omnium maximos profiterentur, & tales æſtimari, diciique cuperent.

1. Tim. 1. v. 11.
In eius vita.

In ſecunda ſchola, hoc eſt, in dexteri pedis vulnere, *Crucis Chriſti* debemus perdiſcere *latitudinem*, ut parato ac læto animo proſpera æquè atque adverſa complectamur, divinæ voluntati in omnibus nos conformantes. Quod ſancto P. N. Ignatio adeò uſitatum fuit, vt in omni rerum eventu, non aliâ animâ, quàm Dei voluntate agi, ac vivere videretur.

Rib. in vita.

In tertia ſchola, hoc eſt, in vulnere ſiniſtræ manus, *longitudinis Crucis Chriſti* doctrina traditur, qua crucem

ipſe

Digitized by Google

ipſe ab æterno complexus eſt, & tandem ineffabili patientiâ, atque æquanimitate ſubivit, & nos hoc exemplo patienter, atque æquanimiter Crucem noſtram admittamus, & cum ſancta Eliſabetha Hungariæ Regis filia, Haſſiæ Landgravia, ſocios conquiramus, qui in adverſis Deo nobiſcum laudes concinant. *Sur. in eius vita.*

In quarta ſchola, hoc eſt, in vulnere dexteræ munus, *Crucis Chriſti* diſcemus *ſublimitatem*, ut animo à terra ſublato, divina tantùm ſectemur, & cum Apoſtolo *in cælis ſit converſatio noſtra.* *Philip. 3. v. 20.*

De quinta ſchola, in vulnere ſcilicet lateris, & cordis Domini conſtituta, eleganter ita ſcribit qui ſuprà: *Iuglaris elog. 76.*

Elatus in Cathedram
Veri Magiſter Amoris,
Idiomate amantum poſthac loquuturus,
Ore clauſo, cor aperit.
Fideliorem Interpretem
Doctrina cordium hactenus non invenit.
An planè loquatur ex corde,
Idioma cordis interroga?

Schola itaque hæc, ſchola divini Amoris, eaque ſuprema eſt. Atque ita in ipſis, & ab ipſis ſacratiſſimis vulneribus docemur Ieſum, & hunc crucifixum; *Quæ meditari*, ait Bernardus, *dixi ſapientiam, quæ intelligere dixi ſcientiam. Hæc mea ſublimior Philoſophia, ſcire Ieſum & hunc crucifixum.*

Serm. 43. in Cant.

S. Vincentius Ferrerius, ex D. Dominici familia, ſtudijs fatigatus, non alibi relaxabat animum, quàm in vulneribus Salvatoris ſibi in Crucifixo ſuo obverſantibus, faſſus ſe in Dei, virtutumque ſcientiâ progreſſum majorem hiſce in ſcholis feciſſe, quàm in alio ullo orbis Gymnaſio, quocunque magiſtro facere potuiſſet. In illis ſcholis & nobis omnis opera ponenda eſt, ſi ad ſupremum, libri ſcilicet vitæ æternæ, præmium, adſpiremus.

Paul. Bar. in an Sa.

VUL-

VVLNVS MANVS SINISTRÆ



Quàm gratioſæ ſint animabus Sanctis vulneratæ Chriſti manus.

VUlnera ſacratiſſimarum manuum Saluatoris magna fuiſſe oſtendit ſacra Sindon, in qua ſepultus fuit, quæ eas oblongas, & pulcherrimas exhibet, ſiniſtra dexteræ impoſita & magna illa fuiſſe vulnera neceſſe eſt,

Digitized by Google

eſt, mole corporis ſubſidentis, palmaſque Domini lacerantis. De quibus ita ſponſa Eccleſia, ſponſo Ieſu, ac Redemptori ſuo, ſponſo, inquam, manuum, non otioſo, aut inerti, ſponſo ſanguinum, non imbelli, aut ignavo;
Cant. 5. v. 14. *Manus*, inquit *eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis*. *Tornatiles*, ait Iuſtus Orgelitanus, celeres, ſcilicet, in omne opus ſalutis noſtræ, quia quod torno fit, celerrimè fit. Sunt & *aureæ*, quia *quidquid*, inquit S. Gregorius, *exteriùs operabantur, intus à divinitatis pulchritudine diſponebatur. Plenæ etiam ſunt hyachintis*; *Iure*, inquit Philo Carphatius, *tornatiles factæ ſunt manus Chriſti, quando velociſſimè illas extendit in Cruce, quando eæ clavis perforatæ fuerunt, quæ ob Chriſti divinitatem, atque potentiam aureæ dicuntur; plenæ verò ſunt hyacinthis*, qui, teſte Diodoro, purpurei, ſanguinem Domini referunt, plagis clavorũ, funiũ vibicibus, ac flagellorum expreſsũ. Atque hæ ſunt Chriſti Ieſu Salvatoris noſtri deſideratiſſimæ manus, quibus vt noſtræ reſpondeant, atque *ſancti timoris Domini* myr-

myrrham diſtillent probatiſſimam, ſequentes nos Conſiderationes edocebunt.

CONSIDERATIO I.

Vulnera Chriſti,

Thecæ Dei ſcriptoriæ.

THecas hominum ſcriptorias, ab atro colore, vulgò Atramentaria dicimus; ego haſce thecas Dei ſcriptorias, à ſanguine Domini Ieſu, ſi loqui ita fas eſt, Rubramentaria appellabo. Nihil æquè horrere ſolitus erat Iob Propheta, quàm Dei manum, quâ librum vitæ, ac mortis conſcribit; *Scribis*, inquit Domine, *contra me amaritudines, & conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ.* Cap. 13. v. 26. *Erat Iob vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo;* Ca. 1. v. 1. thecam tamen Dei ſcriptoriam, manum eius, ac calamum timet, ne his adoleſcentiæ ſuæ peccata annotaverit: & nos ſecuri vivimus in peccatis, non ſolum adoleſcentiæ,

ſcentiæ, noſtræ ſed & virilis, ac ſenilis ætatis, perinde, ac ſi Deo theca nulla ſcriptoria, nulla manus, nulluſque calamus foret, quibus contra nos æternas ſcriberet amaritudines.

T. 8. an. Ch. 646. n. 15. Terrore plenum eſt quod refert Cæſar Cardinalis Baronius. Pyrrhus Patriarcha Conſtantinopolitanus, in Monothelitarum hæreſim inciderat. Romam evocatus, & à Theodoro I. ſummo Pontifice monitus, reſipiſcit; ſed vix dum Conſtantinopolim rediens, Aquileiam attigerat, cùm in eundem errorem relapſus, ei pertinaciter adhæſit. Quare Pontifex, plenitudine conuocata Eccleſiæ, poſt decretam contra Pyrrhum ſententiam, ſummum Orbis tribunal conſcendit, venerandum ſcilicet SS. Apoſtolorum Petri ac Pauli ſepulchrum, eoque ſuper, divino calice expoſtulato, ex vivifico ſanguine in atramentarium ſtillavit, in ſignum maledictionis, ac damnationis æternæ. & ita propriâ manu depoſitionem Pyrrhi excommunicati ſcribit, & facit. Hæc Baronius.

Anima

Digitized by Google

Anima mea, quàm meritò de te queritur Salvator! Clamat ſibi graviora eſſe vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis ſui, nec times illum pretioſo ſanguine ſuo, charactere indelebili, ſcripturum contra te maledictionis ac damnationis æternæ decretum? Ora cum Divo Auguſtino alijſque, & dicito: *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmaverunt me totum in circuitu, illæ manus quæ pro me cruci affixæ ſunt, opus manuum tuarum ne deſpicias. Ecce in manibus tuis deſcripſiſti me, ſacratiſſimorum vulnerum tuorum charactere, charactere ſcilicet ſuavitatis, & non amaritudinis, charactere miſericordiæ, & non juſtitiæ, charactere benedictionis, non maledictionis, charactere ſalutis non damnationis. Lege Domine Ieſu hanc ſcripturam, & ſalva me.* *Solil. c. 2.*

CON-

CONSIDERATIO II.

Vulnera Chriſti,

Terror malorum, & Spes bonorum in Iudicio.

Prov. 28. v. 14. Herib. Roſw. in vitis PP. BEatus homo, qui ſemper eſt pavidus, inquit Sapiens. Abbas Elias dicebat *tria ſe timere ſolitum. Primum, quando anima corpore egreditur. Secundum, quando Iudici Deo ſiſtenda foret. Tertiũ, quando extrema ſententia eſſet pronuntianda: Cogitemus*, inquit Cæſarius Arelatenſis, *illius* Hom. 27 *Iudicis inceſſanter adventum, qui vtinã nos ſic paratos inveniret, quomodo nemo poteſt dubitare, quòd veniet! Quòd ſi requiras, quomodo veniet? In illo utique corpore, quod pro noſtra ſalute ſuſceptum, pro noſtra abſolutione natum, & pro noſtrorum vulnerum medicinâ lanceâ, clauiſque transfixum eſt. Prima erit in reos intoleranda ſententia, reverendarum præſentia cicatricum, quando dicet Dominus; Infer digitum tuum*

Digitized by Google

tuum huc, & vide manus meas, affer manum tuam, & mitte in latus meum, & agnoſce quæ pro te impio, pietas divina perpeſſa eſt.

Quò ſe tunc, uti rectè S. Auguſtinus, peccator convertet, quando illi meritò exprobrabit Salvator? *Vide hominem quem crucifixiſti, vide vulnera, quæ inflixiſti, vide latus quod transfixiſti, quoniam per te, & propter te, apertum eſt, & tamen intrare noluiſti.* Neque minus terribile eſt, quod S. Bonaventura; *Apparebit*, inquit, *Dominus Ieſus cum vulneribus ſuis, & clamabit dicens: Videte quanta à vobis, & in vobis, & pro vobis paſſus ſum, & tamen ingrati omnia contempſiſtis, & pro nihilo duxiſtis: Ite maledicti in ignem æternum.* Certum itaque eſt, in extremo judicio, impios, uti Propheta ait, aſpecturos *in eum, quem confixerunt;* videbunt eundem & juſti, ſed hi ad ſolatium, illi ad horrorem. Ita Ludovicus Bloſius, *Chriſtus Dominus*, inquit, *in judicio oſtendet vulnera ſua ineffabili decore fulgentia, quæ juſtis quidem dulciſſimam conſolationem, impijs verò horribilem confuſionem adferent.*

Lib. 2. de Symb. c. 8.

p. 1. Stim. cap. 2.

Zach. 12. v. 10.

Inſtr. vitæ ſpir. medit. de Iud.

Li. 1. Grat. Sp. cap. 12. S. Mechtildis, die quodam Veneris ſancto, eâ horâ, quâ Salvator Cruci figendus erat, alienatâ à ſenſibus judicio divino ſiſtebatur. Comparebant Deipara, Angeli, Sancti, creaturæ omnes. Credebat, illa extremum adeſſe diem, & in orbem vniverſum ferendam ſententiam. Accuſabat eam Dei mater, de exigua nimis erga Dominum Ieſum filium ſuum obedientia; Seraphini, de tepido illius in eum amore; Apoſtoli de doctrina ſua non accuratè ſatis ab ipſa obſervata; Sancti omnes, de virtutum ſuarum exemplis, ſubinde neglectis; creaturæ, quod his ad Dei gloriam non ſemper uſa fuiſſet. Quid agat hîc Mechtildis? procidit ad pedes Ieſu Iudicis, rigat eos lacrymis, & per veneranda horum vulnera, miſericordiam ac pacem implorans, ſibi reſtituitur. Exhorreſce peccator, nam *ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* *Luc. 23. v. 31.*

Alph. de Andrade in duce virt. lib. 1. c. 35. §. 3. Hoc audi. Concionator erat non ante multos annos in Hiſpania, non minùs vanus, quàm doctus, qui prurientes

rientes aures, perſuaſibilibus humanę ſapientiæ verbis, non eſurientes animas, hauſtis à Spiritu ſancto rationibus, paſceret, plauſum magis quàm fructum Auditorum captans. Monetur itaque à Concionatore Societatis noſtræ, qui illi pridem amicus erat, ut *Chriſtum, & hunc crucifixum* cum Apoſtolo prædicaret,& non gloriam ſuam, ac Deo in concionibus ſuis animas quæreret. Credidit homo ab æmulatione hanc proficiſci monitionem; quod Noſter, non æquè atque ipſe, tanto populi confluxu diceret. Eſt enim is ingeniorum, ac hominum ſimiliū ſenſus, qui pares ſibi nullos eſſe volunt, atque ita ſibi ſapiunt, ut aliorum de ſe recta, & ſana judicia non ferant. Sed à Deo mox aliter edoctus fuit; cùm inopinato gravique morbo correptus, intra dies paucos vivere deſijt. Quod ubi intellexit Concionator noſter, Deo amicum defunctum, pro quo meritò ſollicitus erat, impenſis precibus, multiſque lacrymis commendavit; qui tandem tertium

poſt diem apparuit ſupplicanti coram Chriſti in cruce pendentis effigie, è cujus latere fluvius igneus egrediens, miſerum hominem obruebat, & circumquaque comburebat, in cœlum brachia jactantem, vultum manu utraque tegentem, voceque lacrymabili
Pſal. 68. v. 8. clamantem; *Operuit confuſio faciem meam*, pro inani illa gloria, quam toties vanis ſuis concionibus captaverat. Ad
Iob c. 3. v. 26. quem de cruce Salvator; *Nónne ſilui? nónne tacui? nónne diſſimulavi?* quaſi diceret; Vanè, & ſine fructu concionatus es, adulterans verbum meum, adornans tuum; ſiluine, aut tacui ad hanc tuam vanitatem? an eam diſſimulavi? nónne te per amicum tuum, ſervum meum, monui? Tu verò mo-
Iſ. 42. v. 14. nentem contempſiſti, & *projeciſti omnes ſermones meos: nunc autem ſicut parturiens loquar, diſſipabo, & abſorbebo ſimul.* Audiant *qui legatione pro Deo funguntur*, ut
Epheſ. 6. v. 20. non ſe, ſed Chriſtum annuncient. Videant omnes vocationem ſuam, ut ſecundùm eam dignè ambulent, ne ſanguis, non lateris Domini tantùm,

ſed

Digitized by Google

ſed & reliquorum vulnerum, qui in ſalutem noſtram profuſus eſt, ipſis in ignem ęternę damnationis convertatur.

Lego in Actis quæ parantur pro canonizatione B. P. Franciſci Borgiæ, promovenda, virum in Hiſpania, quàm ſanguine nobilem, tam vitiis ac flagitiis infamem, gravi ægritudine correptum, ac de vita periclitantem, tantâ obſtinatione in ſceleribus ſuis perſtitiſſe, ut omnes recta monentes reiiceret, nolletque de anima per Confeſſionem expianda quemquam audire. Venit tum fortè eam in vrbem Borgia, qui cognito miſeri periculo, pro zelo ſuo, illum juvare cupidus, ante Chriſtum Crucifixum in genua procidit, eum ardenter obſecrans, & obteſtans, ut qui Orbi univerſo, ſanguine ſuo ſaluti fuiſſet, infelici ac pertinaci illi animæ non deeſſet. Franciſco hæc precato, ex cruce Salvator; adi, inquit, confeſtim ægrum, eumque hortare, ut ſe expiet, & ego mox illi, ut Medicus, & infirmorum curator adero. Abit Franciſcus ſpei bonæ plenus, & tanto adjutore

Euſeb. Nierenbergius in vita eius.

Digitized by Google

tore gaudens, ad ægri domum ſe confert, quò Salvatori ã anteceſſerat, Medici, ac prope famuli ſpecie illi ſolatia, atque obſequia deferens. Excipitur ab infirmo non inurbanè Borgia, verùm ubi de Confeſſione cœpit agere, ad eam inſtituendam adduci non potuit: Recedit interim Dominus, relicto ad ulteriores conatus apud ægrum Franciſco, qui & ipſe, cùm operam perderet, etiam receſſit, & denuo coram Chriſto crucifixo in genua provolutus, per ſacra illius vulnera obteſtatur, ut miſero adſit. Cui Dominus, conveni iterum pertinacem illum Franciſce, meque tecum defer, ſi fortè me conſpecto, cruci pro ſe fixo, convertatur, & vivat. Rediit Borgia, & ſubmotis arbitris, ut liberior eſſet æger, verbis ad pietatem omnem compoſitis, ſubmiſſis in terram genibus, Chriſtum Cruci affixum illi repræſentat, per paſſionem, dolores, ſacra Domini Ieſu vulnera orans obſecranſque, ut animæ ſuæ miſereatur, æternitatem conſideret; nolle Deum mortem peccatoris, ſceleri-

bus

Digitized by Google

bus omnibus miſericordiam ejus majorem eſſe: ad omnia miſer obſurdeſcit. Addit & vocem ſuam Dominus Ieſus, & vocem ſanguinis, quem ex vulneribus omnibus copiosè effundebat: per hunc iterum iterumque obteſtatur Franciſcus; ſed nihil proficit. Tum verò Salvator revulſa à cruce manu, ſacroſanctum ſuum cruorem in faciem proiicit obſtinati peccatoris, qui quot guttas numerat, tot veluti linguis in magno judicij die, coram orbe univerſo, neglectam, & contemptam benigniſſimi Dei, ac Salvatoris ſui miſericordiam illi exprobrabit, ſuntque miſero, ut cum Ruperto loquar, *Veneranda Domini vulnera, æterna futura incendia.*

Quia nunquam ſatis monetur, quod neglectum æternis lacrymis tandem ſerò deploratur, tertium in hoc genere prodigium pro cautela addam, ut ſapiant, & intelligant peccatores. Arnoldus Cathius è Societate noſtra, magnæ virtutis, ac doctrinæ vir, de quo, qui plura volet, Philippum Alegam-

Digitized by Google

be, Noſtrum, in Bibliotheca ſua conſulat. Narravit, ille, Româ in Belgium redux, & ſcripto teſtatum reliquit, ex fide digna relatione habuiſſe ſe, in Italia Iuvenes duos aliquando nomen Societati dediſſe, quorum unus in vocatione perſtitit, alter ſæculum, ejuſque mores, ac ſcelera repetijt. Morbo is tandem lethali corripitur: cùm fortè urbe egreſſo Sacerdoti noſtro, eidem illi, qui ægro vocationis fuerat ſocius, acclamat muliercula, ut in domum ſuam deſcendat, priuſquam moriatur filius ejus. Accurrit ad miſericordiæ opus lubenti animo Pater, hominem reperit febri graviſſimâ correptum, agnoſcit ſocium fuiſſe vocationis ſuę. optat ut ſit & felicitatis æternæ, eum ſolatur, ac hortatur vice nõ una, ut ſacrâ confeſſione animam expiet, ſed fruſtra. Tandem ad ægri lectũ moram longiorem trahens, ut illum ad ſaniorem mentem reduceret, & in ſomnum incidens, Chriſtum videt hiantibus vulneribus advenientem, ægrumque commonentem, ut per ſacram exomologe-

loge-

logeſim animæ ſuæ ſaluti conſulat: avertit miſer vultum, atque aures obturat Salvatori; qui indignabundus, plena manu ſanguinem ſuum in obſtinati hominis faciem conjecit, ea comminatione, ut quem in animæ ejus ſalutem fuderat, is illi in æternam damnationem cederet. Abijt Dominus; expergiſcitur Noſter, & miſerum totum cruentum, ac vitâ functum reperit. Ita tecum agetur peccator indurate, niſi tempori reſipiſcas, quod ut facias, ſacratiſſimum Salvatoris tui ſanguinem tibi propitium oro.

CONSIDERATIO III.

Vulnera Chriſti,

Teſſeræ fiduciæ noſtræ.

THronum divinæ Majeſtatis non ita obſident tonitrua, ac fulmina iræ, & furoris in peccatores, ut miſericordiæ, ac benignitatis ejus radios

Digitized by Google

obnubilent. Neque ſacratiſſima Domini vulnera, adeò nobis terrori eſſe debent, dum illa flagitijs noſtris renovamus, ut omnem nobis fiduciam tollant; ſed per eam, quæ in illis eſt, Dei benignitatem, ac miſericordiam, animos noſtros in certam ſalutis ſpem debent erigere. *Peccavi*, inquit Bernardus, *peccatum grande: turbatur conſcientia, ſed non perturbatur: quoniam vulnerum Domini recordabor, Nempe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras. Et ideo liquet erraſſe eum, qui ait: Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear. Veniam enim meretur ille, pro quo Chriſtus & vulneratus, & mortuus eſt*. Ita Bernardus.

Serm. 61. in Cant.

Quintus Cicero in arce quadam à Gallorũ exercitu tenebatur intercluſus, Iulius Cęſar ſagittam, in eam clam immittit cui ſcheda incluſa erat, quæ diceret; *Cæſar Ciceroni fiduciam optat expecta auxilium*. Obſideris à metu damnationis æternæ, confuſio admiſſorum peccatorum ad Deum tibi tranſitum intercludit? in deſperabundam animam, quiſquis es, admitte illam

Polyd. lib. 8.

Digitized by Google

lam quinque ſtellarum , vulnerum aliàs dixi ; Salvatoris ſagittam , & fiduciæ, ſubſidijque adfuturi certas tibi notas adferet.

Hujus ſpei ac fiduciæ plena dicebat fidelis illa anima: *Meſſui myrrham meam cum aromatibus meis:* quæ miſceo, ut illius amaritudinem horum ſuavitate temperem , & animum meum maximis preſſum anguſtijs ſublevem. Ita in horto Dominici corporis, ſacris quinque vulneribus , quaſi totidem areolis diſtincto ; non ſolùm timoris myrrha, ſed & ſuaviſſima ſpei, ac fiduciæ aromata nobis legenda ſunt , firmiſſimè credendo , benigniſſimum Salvatorem nolle perire animas, tanto à ſe labore quæſitas , tanto pretio redemptas. Cant. 5. v. 1.

Neque alio argumento puſillanimes conſolabatur D. Auguſtinus. *Noli*, inquiebat, *dicere , in cælo non ero. tenemus mortem Chriſti , tenemus ſanguinem Chriſti : ſi quod plus eſt tenemus , quod minus ſperemus. Qui pro nobis dedit mortem ſuam, non is daturus eſt vitam ſuam? & qui pro* Serm. 74. an. fr. in aremo.

pro nobis pertulit mala, non is daturus eſt, quæ poßidet bona? deſperarem utique, ſed non deſpero, quia vulnerum Domini recordabor. Hæc Auguſtinus.

Quâ eâdem fiducia in Soliloquiis dicit Salvatori, *Domine Ieſu, littera noſtra ad Patrem tu es*; littera, inquam, ut more vſitato loquar, credentialis, ſcripta clavis, ſanguine, ac vulneribus Chriſti, quaſi totidem characteribus, quæ ubi vel à nobis, vel à Cuſtode Angelo, vel à Virgine Deipara Patri æterno tradita fuerit, conſequemur quidquid nobis, quidquid proximo ad ſalutem neceſſarium eſt. Cùm enim Filij ſui dilectiſſimi Vulnera leget Pater, argumentis alijs opus non habebit, ut pius nobis ſit, ac miſericors.

Quod & rectè intellexit, qui ita adhortatur puſillamines,

Sidron. Elog. 4. de Chriſto patiente.

Mortales ſperate, Dei placibilis ira eſt:
Vincitur, & nullos ſubmovet illa reos.
Depoſitis etiam præſto eſt clementia cauſis,
Omnibus, atque omni tempore tota patet.
Nec mihi quis ſteriles cauſetur perditus annos,
Nec

Nec mihi quis vitæ tempora ſera ſuæ.
Latro ſit exemplo; trunco pendebat in alto,
Quotque dabat gemitus, jam morientis erant.
Flebat, & ad Dominum vertebat pallidas ora.
Hoc ſatis, ut veniam conſequeretur, erat.
Vulnera ſpectabat, quid non ſperaret ab iſtis?
Hac ait ad ſuperos publica facta via eſt.
Nec ſpes deſtituat cuivis, diſcrimine nullo,
Fontibus ex ijſdem, vulneribuſque venit.

Et verò, ſi interna compaſſio erga miſerias noſtras, animarumque noſtrarum jacturam, maior fuerit in Salvatore, ut cum pluribus docet S. Bonaventura, quam externa ejus paſſio, & multitudo tormentorum, quæ pertulit, ut nos à miſerijs, animarumque noſtrarum damnatione liberaret, ubi talem habemus in optimo, ac benigniſſimo Redemptore compaſſionem, tamque acerbam, ac gravem paſſionem, quid ni in tentationibus, anguſtijſque *In 1. Sentent.*

noſtris

noſtris in illum ſperemus? cùm eò etiam ejus ſe extendat compaſſio, ut aliquando Sanctæ Birgittæ faſſus ſit, ſi ulla apud inferos foret redemptio, toties iterum paratum ſe pati, ac crucifigi, quot in æternis flammis animæ cruciantur. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Thronum hunc ſanctiſſimam & glorioſiſſimam Domini crucem eſſe judico, in qua ille moriens, caput in latus lanceâ aperiendum inclinat, ut cor ſuum ad commiſerationem erga nos ſemper apertum fore oſtendat. Spera itaque anima mea in Domino, & fac bonitatem, & paſceris in fiducia paſſionis, vulnerum, ac mortis eius.

Heb.4. verſ.16.

Hac fiduciâ ſe quoque paſcebat, qui cecinit è Societate noſtra:

Chriſte tui pretium ne dedignare cruoris,
Vile nihil, tanti quod ſtetit, eſſe poteſt.
Non ego ſum tanti; tanti ſed fecit ut eſſem,
Me ſibi, qui tanti, prodigus emit Amor.
Quid metuam, tanti pretio dignatus Amoris;

Gerard. Nyſman Elog. de. affec. Dom. Paſſ.

Spes,

Spes, iſto majus pignore, habere nequit.

Referunt Græci Scriptores morem gentis ſuæ obtinuiſſe, vt hoſpes, ſublatâ menſâ convivas ſuos dimittens, percuſsâ ſibi venâ, pro hauſtu poſtremo, quem τελὸς φιλίας, hoc eſt, *Extremum amicitiæ*, appellabant, ſanguinem ſuum illis propinaret. Omnes corporis ſui venas aperuit Dominus Ieſus, ut in magna illa cœna, hauſtum ſempiternæ felicitatis, ac ſuavitatis nobis propinaret. *Bibamus ergo*, ait Ambroſius, *pretium noſtrum, ut bibendo redimamur.* Non vult tamen Dominus, hauſtum hunc vnicum atque extremum eſſe ſuæ in nos benignitatis, ac miſericordiæ, cum in omnem æternitatem illum electis ſuis propinet, ac repetat. Exclamabo itaque cum Propheta regio: *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam*, non unum ſed totidem, quot mihi vulnera offert, quæ mihi fiduciæ, ac ſpei calices erunt, pretioſo ſanguinis ejus potu inebriantia animam meam, hos,

Apud Lobbei in Eccleſ. p. 259.

Lib. 10. *in Luc. c.* 23.

Pſ. 115. *verſ.* 3.

hos, inquam, calices accipiam, *& nomen Domini Ieſu* pro me vulnerati *invocabo*; ut ſit mihi Ieſus ſpes mea ac fiducia.

CONSIDERATIO IV.

Vulnera Chriſti, *Conſummatio redemptionis noſtræ.*

SAlvator noſter, poſtquam ſuffixus cruci fuit, accepiſſetque manuum, ac pedum vulnera, *preces, ſupplicationeſque*, ut ait Apoſtolus, *cum clamore valido & lacrymis offerens*, dixit: *Conſummatum eſt*; opus ſcilicet humanæ redemptionis, quâ reſeratum cœlum, obſeratus infernus, homo Deo reconciliatus eſt, ut verè tunc nomen ſuum, ejuſque ſignificationem impleverit, ac *Ieſus* dictus ſit, quod nomen ſalutis eſt, quinque conſtans litteris, vti quinque confoſſus eſt vulneribus, quibus ſalutis noſtræ *opus conſummavit*, ac nomen ſibi inditum confirmavit, Gabriele atteſtante, cùm dixit Ioſepho, *Vocabis*

Heb. 5. verſ. 5.

Io. 19. v. 30.

Digitized by Google

Vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum, à peccatis eorum. Cave igitur anima mea, iterum æternæ damnationis viam ingredi, & ſanctiſſimi hujus nominis dignitatem, adorandorumque vulnerum remedium tibi impenſum magnifacere ſtude, atque ita pretioſo Domini Ieſu ſanguine utere, divino illo redemptionis tuæ pretio, ne hoc peccatis tuis prodigas. Quod Salvator ipſe avertere conatur, continuâ ſuâ miſericordiâ te erudiens, ut ſaluti tuæ conſulas, pro qua tibi obtinenda tanta paſſus eſt, & pretioſum ſuum ſanguinem tam copioſè effudit.

Nonnemo è D. Franciſci familia, in hanc ab ipſo ſancto Patre admiſſus, gravi pulſatus tentatione, ut manum ab aratro tolleret, ac retro reſpiceret, facultatem ab eodem petit repetendi ſæculum. Cui ille; Itáne fili? Vt pro terra cœlum deſeras? pro parentibus Salvatorem tuum, pro te tanta paſſum? ut à via ſalutis, quam cœpiſti, ad viam regrediaris æternæ damnationis? Qui- *Luc. VVad. an. Ch. 1220. n. 85.*

bus verbis nihil ille commotus, Hugolinu. S. R. E. Cardinalem, Ordiuis protectorem adit, ſed & huic ſaniora ſuadenti non auſcultans, ad Pontificem ſummum, Honorium, ejus nominis III. ſe contulit, à quo etiam paſſus repulſam, fugit è Manaſterio. Vix è limine exceſſerat, cùm virum habuit indignante vultu obvium, qui, quò tenderet, quærit? cui profugus ſtomachabundus; Quid, inquit, tibi mecum? quid ad te iter meum? viam ego meam, tu tuam ito. detexit illico viator latus, manuſque, ac pedes ſanguine fluentes, & ingemiſcens; poteriſne, inquit, teſtibus hiſce vulneribus agnoſcere, quàm mea interſit, de hoc tuo itinere te interrogare, quæ, ut te ab itinere æternæ damnationis, in quod hodie recurris, abducerem, in cruce pertuli. An igitur non jure merito, quò pergas, à te quæro, qui cupio per hæc vulnera, per hunc ſanguinem, te viam, quæ ad cœlum ducit, relegere? Eſt ille quidem ſalutem tuam operatus in medio ter-

terræ, ſed non deſcendit ad inferos, quò tu properas, ut te inde iterum redimat. Commotus ille infinitâ hac Salvatoris ſui benignitate, ad ejus pedes ſe abijcit, inconſtantiæ, ac protervviæ veniam ſupplex orat, & velut prodigus ad Patrem reverſus, à S. Franciſco benignè recipitur, ac deinceps religioſæ vitæ exemplo omnibus præluxit. Ita nunquam non ſalutem noſtram, quam ſemel conſummarunt, ſacratiſſima Domini vulnera, conſervant: *Nam manus illæ*, inquit B. Petrus, Cardinalis Damianus, *quæ fundaverunt cælos, extenſæ ſunt in Cruce, claviſque tranſverberatæ duriſſimis, ut manus tuæ extenderentur ad pauperem & dicere poſſes; Anima mea in manibus meis ſemper. Quod tenemus in manibus, non facilè obliviſcimur ſic & qui animam ſuam bonæ operationi imprimit, non tradit eam oblivioni. Pectus illud in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi, lancea militari perfoſſum eſt, ut pectus tuum à pravis cogitationibus mundaretur, mundatum ſanctificaretur, conſervaretur ſanctificatum. Pedes*

Serm. 1 de Exalt. S. Crucis.

Pſal. 118.

illi, quorum ſcabellum adorare debemus, quia ſanctum eſt, dura transfixione confixi ſunt, ne pedes tui feſtinarent ad malum, ſed currerent viam mandatorum Dei. Quid plura? reduxit erroneum, reconciliavit reum, qui te portavit in humeris ſuis, qui pro te Patri proprio ſanguine ſatisfecit. Sic pia meditatione, & conſtanti imitatione, nunquam non, uti docet B. Damianus, ſalutem noſtram, quam ſemel conſummarunt, ſacratiſſima Domini vulnera conſervant, atque in dies divinis meritis ſuis promovent.

Ora hîc, anima mea, cum S. Franciſco Xaverio: *Domine Ieſu Chriſte, Deus cordis mei, per quinque illa vulnera, quæ tibi in cruce noſter amor inflixit, tuis famulis ſubveni, quos pretioſo ſanguine redemiſti.*

CONSIDERATIO V.

Vulnera Chriſti, Clauſtra inferni.

CLavium apud Principes triplex poteſtas eſt, in carceres, theſauros

ros & arces S.Catharina Senenſis,tanto erga animarum ſalutem zelo ferebatur,ut optarit non ſemel,ita ſe infernum poſſe obſerare, ut reſerari deinde non poſſit. Quod ſancta illa Virgo optabat pręſtare,hoc poteſt Dominus Ieſus, cui triplex clavum poteſtas eſt, eſtque apud S. Ioannem, teſte D. Auguſtino, *Angelus ille qui habet clavem abyſſi*, Clavis hæc juxta D. Chryſoſtomum,Crux Domini eſt; juxta D. Bernardum, *clavus Salvatoris, clavis eſt*, per ſacratiſſima vulnera, *reſerans cœlum obſerans abyſſum*. *Surius in vita.* *Apoc. 20. v. 1.* *Lib. 20. de Civ. cap. 7.* *Serm. 61. in Cant.*

S. Mechtildis, orationi, more ſuo, intenta, infernum aliquando vidit patentem, in eoque ſerpentes, dracones, Vrſos, leones, lupos, canes, mutuis ſe morſibus atrociſſimè laniantes. Interroganti, quid ſibi hæc monſtra vellent? reſpondit Dominus, animas eſſe, quæ nunquam Salvatoris ſui, paſſi ſcilicet, & ſuppliciorum, ac vulnerum ejus *dulciter* meminiſſent; qnibus tamen veluti clavibus cœlum aperi- *L. 5. Grat Sp. cap. 11*

tur , & clauditur infernus.

Li.8. Mir. cap. 8. Neceſſarias nobis haſce claves eſſe lego apud Cæſarium, qui refert à quodam viſos fuiſſe cum Chriſto crucifixos quindecim Ordinis ſui Religioſos; quam crucifixionem, ſcribit Obedientiâ, Patientiâ, ac Humilitate perfici; pedes humilitatis, patientiæ ſiniſtram, obedientiæ clavo figente dexteram; malleum eſſe ſpem cœli, atque inferni horrorem, ut clavi, malleus, ac vulnera Salvatoris, claves nobis ſint cœli, ac abyſſi, quibus illud aperitur, hæc clauditur.

Venerare haſce claues Chriſtiane, neque illis abutaris, uti abuſi ſunt illi, de quibus ſtupens ac tremens lego apud Henricum Murer Ordinis Sanctis Brunonis Religioſum, ne *In Helvetia Sancta.* illæ cœlo tibi aperiendo à Domino conceſſæ, reſerandis tibi inferis exitiales fiant; uti contigit Villaſanij in Heluetijs, tribus Civibus, qui moribus perditi, temporis, fortunarum, atque animarum ſuarum prodigi, alearumque ludo mirum in modum addicti erant.

Digitized by Google

erant. Inter quos vnus, cum ei ſæpè in-infeliciter alea caderet, blaſpemijs execrandis in vulneratum Salvatorem invectus, minatur, ni jactus fortunatiores daret, ſe, in cœlum vſque, ipſum pugione, quem ſtringebat, petiturum, quo tandem, cùm alea non volueretur felicius, in auras proiecto, continuò de cœlo guttæ quinque ſanguineæ in aleatoriam tabulam deciderunt, non ſecus, atque ſi Salvator, linguâ blaſphemâ, quaſi pugione, in ſanctiſſimis ſuis vulneribus, percuſſus fuiſſet. Aleatoribus prodigio attonitis, blaſphemus à Dæmone in ſilvam proximam abripitur, horrendo ejulatu raptatus per aera toto triduo; quo exacto ad ſempiternos inferni cruciatus deportatus eſt. Neque inulti abierunt ſocij, qui in vicino flumine è tabellà ſanguinem Domini conabantur eluere, ſed fruſtra; volebat enim Deus vindictæ ſuæ in blaſphemos, & ſacrorum quinque vulnerum ſuorum execratores, poſteris ad cautelam, monumentum extare apud Heluetios apud quos etiam hodie ſanguis

 hic

hic prodigioſus venerationi eſt. Tandem horum alter obortâ rixâ ſocium confodit, & profugus ac vagus clamante contra eum voce Dominici ſanguinis, varias regiones oberravit, vitamque poſuit miſerijs multis confectus.

Diſcite aleatores, diſcite ludiones inter aleas, pictas inter chartas, alioſque luſus ore execrando adoranda Salvatoris non lacerare vulnera, quæ contempta infernum obſeratum reſerant, cœlum verò pandunt reverenter, pieque culta.

VVL-

Digitized by Google

VVLNVS MANVS DEXTRÆ.



AD ſacrum hoc vulnus dexteræ manus, cum omni fiducia pete à Deo, ut æternam beatitudinem conſequi poſſis, atque ita vitam agas, ut gratiam omnem, ac benedictionem ab illa obtineas, quæ ad eam conſequendam tibi neceſſaria eſt.

Digitized by Google

CONSIDERATIO I.

Vulnera Chriſti,

Cælum in terra.

SI fieri poteſt, ut in terra cœlum reperiatur, hoc ille conſecutus eſt, qui ſacra Domini Ieſu vulnera invenit. Cœli felicitas ac beatitudo eſt Deum intueri, illoq́ue frui; *Satiabor*, inquit Propheta Regius *cùm apparuerit gloria tua.* Animarũ autem in hoc mundo beatitudo conſiſtit in meditatione, & cognitione, atque imitatione patientiæ, quam in paſſione, cruce, vulneribuſq́ue ſuis tolerandis, Salvator nobis exhibuit, quæ illi adeò gravia fuerunt, ut indignum arbitrari debeamus, ſine paſſione, cruce, ac vulnere viuere, vbi Dominum Ieſum paſſum, crucifixum, vulneratum conſpicimus. *Vult benignus Dux*, ait Bernardus, *devoti militis ſui vultum in ſua ſuſtoli*

Pſal. 17. verſ. 15.

Serm. 61. in Cant.

Digitized by Google

ſtolli vulnera, ut illius ex hoc animum erigat, & exemplo ſuo, reddat ad tolerandum fortiorem, ac lætiorem. Enimvero non ſentit ſua, dum illius vulnera intuetur. In quo animæ tolerantis, ac patientis ſumma in terris eſt felicitas, ac beatitudo, patientem ſe, ac dura tolerantem,, in patiente, ac duriora tolerante Salvatore contemplari, atque in ſua illiuſque paſſione lætum vivere.

De cœli pulchritudine quid dicam? Inexplicabilis illa eſt à Dei Majeſtate, à gloria Deiparæ, Angelorum, ac Sanctorum omnium, ab ornatu, & conſtitutione, quæ à D. Ioanne deſcribuntur, deſumptâ comparatione ab ijs, quę in terra ſunt ornatiſſima, ac ſplendidiſſima. Præclarè D. Auguſtinus: *Pulchrum, inquies, eſt cælum, ſed pulchrior eſt fabricator cæli. At video cælum, inquies, & illum non video, oculos enim habes ad videndum cælum, cor nondum habes ad videndum fabricatorem cæli. Ideo venit de cælo, ut mundet cor,* (aquâ ſcilicet & ſanguine manante è cordis ſui vulnere) *quo videatur*

Apoc. 11

In pſ. 85.

deatur qui fecit cœlum, & terram. Ita Chriſti ſacroſancta vulnera, non ſolùm dignos nos reddunt, ut Dei, cœliq́ue pulchritudinem conſpiciamus, *ſed & ipſa,* inquit Bloſius, *plus pulchritudinis, lætitiæ, atque claritatis toti cœleſti curiæ conferunt, quàm omnia alia, quæ in vita perenni, excepta divinitate, habentur.* Quare deplorandum, alibi ait, tantam pulchritudinem, toto terrarum orbe, parum adeò ab hominibus æſtimari.

Expl. ſup. paſſ. Dom. c. 19.

Pium hunc Bloſij ſenſum, piè æquè, ac doctè confirmat Iulius Cæſar Recupitus, Societatis noſtræ Theologus, utiturque S. Ioanne Evangeliſta, qui ait, *vidiſſe ſe lucernam* ſeu lumē *Agni ſtantis in medio Throni, tanquam occiſi*, cuius ſcilicet vulneribus, totidem veluti ſolibus, cœlum univerſum illuſtrabatur. Quod occiſi & vulnerati Agni lumen, S. Ioannes dicit *eſſe tanquam lapidis Iaſpidis*; quæ gemma, ut ait S. Hieronymus, eſt *quaſi mixto cruore ſubrutilans*, & uti Cornelius noſter, *quaſi plagis diſſecta*; quâ quid clarius ſignificatur, quàm Agnus noſter occiſus & plagis

Tom. 1. l. de Deo uno quæſt. 19.

Apoc. c. 5. & c. 21. v. 24.

Apoc. c. 5. & c. 11.

Digitized by Google

plagis diſſectus, qui pleno, non mixto cruore ſubrutilans, ſacratiſſimis ſuis vulneribus, auguſtiſſimum gloriæ lumen, ut cum S. Thoma loquar, cælo infundit; cumque Iaſpis, gemma, colore vario fulgeat, tot illud divinis illuſtrat Iridibus, quot in idem vulnera, meritis innumeris, gloriaque redundantia, intulit. *P.3.q.92. a.2.in corp.*

Quam gloriam, quantum in mortali vita licuit, prælibavit S. Mater Tereſia, quæ ſolo ſplendore, ac lumine vulneris manus Domini dexteræ conſpecto, ita afficiebatur animo, ut ſpreto omni eo, quod mundus pulchrum, ac ſpecioſum æſtimat, ſacræ iſti plagæ ſemper adhæſerit, in eaque dum vixit, cœlum ſuum elegerit. Quid ſi reliquorum vulnerum gloriam conſpexiſſet Thereſia; Credidiſſet ſanè cœlos novos in terra condidiſſe Deum. Fixum itaque, ratumque ſit cum Ludovico Bloſio, *ſacra Domini vulnera plus pulchritudinis, atque claritatis toti cæleſti Curiæ conferre, quàm omnia, quæ in vita perenni, excepta divinitate haben-*

habentur, eademque nobis in vita hac mortali totidem cœlos eſſe.

Matth. 17. v. 1. Mar. 9. v. In monte Thabor *facies reſplenduit* Salvatoris, *ſicut Sol, & veſtimenta eius facta ſunt ſplendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo*, ut ait Marcus, *non poteſt ſuper terram candida facere;* æternæ quippe lucis candor illis à Domino communicabatur. Captus hoc ſplendore, candore, ac gloriâ Petrus, ſui ac ſociorum Apoſtolorum oblitus, exclamat: *Domine, bonum eſt nos hîc eſſe; faciamus hîc tria tabernacula; Tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum. Non enim ſciebat, quid diceret*, ait Evangeliſta. Verùm ſcit 1. p. ſſim. c. 6. ſanctus Bonaventura quid dicat, cùm vult, *ut faciamus tria tabernacula in vulneribus Salvatoris, unum in pedibus, unum in manibus, & unum in latere, ac corde Ieſu; in quibus planè bonum eſt nos eſſe, omnia opera noſtra peragere, & cœlo in terra frui*, eſt enim in illis omnis cœli ſplendor, atque ornatus.

Habet itaque cœlum, habent & vulnera Domini pulchritudinem ſuam; habent & hæc, & illud ſuavitatem

ſuam:

Digitized by Google

ſuam. Nota eſt expertis utriuſque ambroſia,& dulcedo, vtriuſque. *Tanta*, ait Auguſtinus, *ſuavitas ac jucunditas eſt lucis æternæ, ut etiamſi non liceret amplius in ea manere, quàm vnius diei morâ, propter hoc ſolùm, innumerabiles anni hujus vitæ, pleni delicijs, & circumfluentia temporalium bonorum, rectè meritoq; contemnerentur. Nō enim falſo ac prauo affectu dictū eſt, Melior eſt dies una in atrijs tuis ſuper millia.* Habent & hîc in terris atria Domini, ſacratiſſima ſcilicet illius vulnera, jucunditatem, & ſuavitatem ſuam, quæ omnes mundi delicias ſuperant, & cœleſtes adæquant. Ita expertus judicavit Abbas Bloſius, cùm ait: *Ore ad patulum vulnus lateris ejus appoſito, cœleſtem ſuavitatem ex corde ipſius manantem guſtato, revera enim torrens voluptatis illinc erumpens te abundanter ſatiare poterit.* Ita ſancta virgo Ludgardis lateri Domini ſibi occurrentis, dum ad templum ægra ſe conferret, os applicans tantam exſugebat dulcedinem, ut nullis poſſe affligi ærumnis ſe crederet, in quibus cœli ſolatia ex divino illo fonte

De lib. arb. l. 3. c. 25.

Marg. ſp. c. 19.

fonte hauſta, non experiretur. Iſta dulcedine perfundebatur iterum Bloſius, cùm ait, *Sàluto, Domine Ieſu, roſea, ac ſuavißima vulnera tua quæ ſuſcepiſti pro me, & in quibus deſcripſiſti me, ſalvete, ſalvete vernantes, & ſalutiferæ plagæ Redemptoris mei, & amatoris mei.*

Inſt. ſpir. c. 11.

Nec minore affectu im omnem ſuavitatem effunditur S. Mechtildis, cùm ad Domini vulnera exclamat. *Salvete monumenta charitatis, teſtimonia obedientiæ, ſigna jußionis paternæ, & pretia redemptionis humanæ, ſalvete gaudium Angelorum, gloria Patriarcharum, zelus Apoſtolorum, fortitudo Martyrum, lumen Doctorum, patientia Confeſſorum, decus ac ſplendor Virginum, ſolatium Sanctorum omnium.*

Otho. xylius in poem. de vuln. Dom.

Sic & ille è Societate noſtra piè & eleganter accinebat.

Salvete, ô dulces plagæ, quas mitis Ieſus
Pertulit, humanæ reſtaurans damna ſalutis!
Salvete, ô reflui divino ſanguine fontes!
Vos, ego, vos non ore bibam, ſed pectore toto.

Quoque

Digitized by Google

Quoque magis biberim, ſitiam magis. ite liquores,
Ite ſalutiferi per membra arentia rivi;
Totus ut in venas, & viſcera ſerpat Ieſus.

Ita ſervi Dei animum recreant in ſuaviſſimis Domini vulneribus, præ his nullas delicias amantes, nullas quærentes. Uti nec quæſivit S. Clara Aſſiſias; quæ nullo non die ſtatis precibus ſacra Domini vulnera ſalutabat, ac venerabatur, quo in pietatis exercitio, ingenti ſemper conſolatione perfundebatur, utque ſanctiſſimorum horum pignorum aſſiduum haberet monitorem, fune aſpero, nodis quinque implexo, nudum corpus cingebat. *In eius vita.*

Neq; in oratione tantummodo, pijſque devotionis exercitijs, quibus vulnera Domini colimus, hanc cœli ſuavitatem inuenire eſt; ſed in ipſa etiam tribulationum, atque afflictionum amaritudine, uti mox in ſancta Ludgarde vidimus, & ipſe Salvator nos docet in Iuvene nobili, & lectæ virtu- *Laur. S. ..a lab. in Moral. 19. de Paſſ. Dom.*

S tis,

tis, familia, Senenſi, Ioanne de Incontris, qui in delicijs paternæ domus educatus, illis nuntium remittens, Ordini ſancti Auguſtini nomen dedit. Mox tamen vitæ religioſæ incommodis in gravem mœrorem dejectus, domum paternam repetere ſtatuit. At non paſſus id Salvator, ſe illi videndum obtulit, detecto lateris vulnere; fili, inquiens, vbi cibus tibi minùs ſapidus, lectus durior, nocturnæ vigiliȩ, meis concinendis laudibus conſtitutæ, moleſtiores fuerint, ingredere vulnus hoc, & intinge illa in divino ſanguinis mei condimento, & cœleſti tibi ſuavitate dulceſcent. Monenti obtemperavit juvenis, & tantis ſolatijs, tantiſque virtutibus vitam peregit, ut beati appellatione à ſede Apoſtolica meruerit condecorari.

Huic non abſimile, quod Bononiæ apud RR. PP. Prædicatoras vidit depictũ, mihique transſcripſit è Societate noſtra vir fide dignus, & refert Seraphinus Raggius. Novitius ſacro illo in Ordine, cõmuni cibo aſſueſcere vix pote-

p. 1. Hiſt. Ord. S. Dom.

poterat. Iuveni gravis erat hæc lucta, cui ne ſuccumberet, panem, quē maximè faſtidiebat, per urbem collectum, ac ſæpe mucidum, arripit, cumq́ue eo ad imaginem depoſiti de Cruce Salvactoris, & in afflictiſſimæ Matris ſinum recumbentis, convolat, querelas ſuas apud Deiparam deponens, opemq́ue implorans: quæ blandè Tironem intuita panem accipit, cruento dilecti filij lateri intingit, illiq́ue reddit; quo guſtato, credidit ſe adſcriptum Beatorum numero, *qui manducant panem in regno Dei*; vixitq́ue deinde paupere, ac religiosâ mensâ contentus, quam ſacro, ac ſapido ſanguinis Domini condimento, ſapidam ſibi quotidie reddebat. Ita faciebat in Hiſpania Religioſus alter è ſacra RR. PP. Carmelitarum Diſcalceatorum familia, qui aceſcens vinum, ut ſaperet è vitro, veluti è latere Domini hauriebat.

Luc. 14. verſ. 15.

Suo etiam ſolatio à vulnerato Salvatore affectus fuit frater Ioannes Baptiſta Faventinus, ex D. Franciſci familia Capucinus laicus. Hic perditis

Carolus à Brux. in elogijs.

Digitized by Google

moribus homo, cùm Ordini ſacro ſe dedicaſſet, tantò in religioſa vita melior, quantò in priore deterior fuerat, monitus coram toto Monaſterio à ſuperiore ſuo, vel ut emendaretur, vel ut ad omnem virtutem magis erudiretur, adeò monitionem hanc ſenſit, ut venâ pectoris diſruptâ, ſanguinem per os copiosè ejecerit, quem manu excipiens, & ad Eccleſiam convolans, Salvatori in cruce pendenti obtulit: En, inquiens, Domine, quæ pro te patior. Cùm Dominus, revulsâ è cruce manu, ſanguinē ei è ſacro ſuo latere profluentem conſimili voce reddidit: En Baptiſta, quæ ego pro te paſſus ſum. Quâ Salvatoris ſui benignitate confirmatus, quæcunque illi deinde ardua occurrerunt, in latere ac ſanguine Domini repoſuit, atque in delicijs habuit, & tanquam dona è cœlo miſſa, de manu Dei accepit.

Qui mihi hoc in opuſculo uſui ſæpe fuit R. P. Lucas Wadingus, Annalium ſacri Ordinis Minorum ſcriptor accuratus,

Digitized by Google

ratus, etiam hic erit. Narrat ille, fuiſſe Ordinis ſui Guardianum Lunelli in Provincia Montiſpeſſulana, parum memorem, rationem, juſq́ue ipſum poſtulare, hominem, quemadmodum per ſummam liberalitatem in Religione Deo, Dominoq́ue ſuo ſe conſecrat, ſic à Superioribus eodem amoris ſinu excipiendum, ac tractandum eſſe; hujus, inquam, moniti Guardianus ille parum memor, Tironem durè admodum, atque aſperè habere erat ſolitus; qui poſtquam gravem ſibi impoſitam pœnitentiam adimpleſſet, in Eccleſiam profugit, ubi proſtratus coram Crucifixo, *Ecce*, inquit, *Domine*, *quanta pro te patior; ecce quas moleſtias mihi ingerat inhumanus Guardianus. Tu noſti, potuiſſe me has calamitates evadere, neque enim deerant mihi in ſæculo facultates lautè vivendi.* Cui benignè Chriſtus; *Ecce etiam fili quæ ego pro te paſſus ſum; quæ mihi illata ludibria, quæ vulnera, quæ ſuprema malorum: neque verò ulla culpa mea, tua omnis. Ego innocens pro te peccante omnia perpeſſus.* Correxit errorem ſuum ju-

An. Chr. 1252. n. 47. to. 2.

venis, & in cruce, ac vulneribus Domini ſui deinceps ſuavem vitam duxit.

Eia Tirones! eia Chriſti novellæ plantę! novella ſanctiſſimi Ordinis veſtri germina! non unam vos mihi feciſtis hoc in opuſculo de vobis ſcribendi occaſionem: poſtremùm modò vos compello, & adhortor, ut ſcilicet cum Apoſtolo, *in fame, ac ſiti, in frigore, ac nuditate, in labore, & ærumna, in vigiliis multis*, in neceſſitatibus, ac tentationibus quotidianis, confortemini in Domino, & in potentia, ac ſuavitate ſacratiſſimorum eius vulnerum: illa veneramini, illis adhærete, & videbitis auxilium vulnerati Ieſu ſuper vos.

2. Cor. 11. verſ. 27.

Atque ita ſacratiſſima hæc pignora gaudia ſunt, ſolatia, dulcedo, ac beatitudo in omni tribulatione ad patientem & vulneratum Salvatorem recurrentibus, eumque ſincerè amantibus; ad quem eleganter ille nos invitat, cùm ait:

Inglaris elog. 86.

Huc, huc, vel è cœli Hybla apes mellificæ,
Vbi flori unico quinque alvearia non ſufficiunt,
Tam ſuavis eſt.

Eſt

Eſt enim Salvator *flos ille campi,& lilium* Cant. 2.
convallium, adeò ſucculentus & ſuavis, verſ. 1.
ut mellis, & conſolationis omnis materiam in quinque ſacrorum vulnerum ſuorum divinis alvearijs ſuperabundantem ſufficere poſſit, quâ,quidquid adverſum nobis, atque acerbum accidit, veluti dulcedine è cœlo hauſtâ, leniamus.

CONSIDERATIO II.

Vulnera Chriſti,

Via ad patriam.

A*Dvenæ ſuper terram,& peregrini omnes ſumus.* Via nobis ad patriam ſunt Domini vulnera; *Via*, inquam, *ſunt*, ut cum S. Thoma loquar, *rectiſsima abſque devio, via brevis abſque tædio; via plana abſque tumulo; via ſecura abſque periculo; via jucunda cum ſocio bono, ſcilicet cum te, Domine, amantiſsimo Duce.* Ita Ducem ac ſocium hac in via morienti S. Mechtildi ſe Salvator exhibuit iucundum om-

1. Pet. 2. verſ 11.
In opus de contemplat.
Lib. 1. Inſt. Sp. cap. 17.

nino, ac lætum, magna Majeſtate, ac gloria patentibus vulneribus, quaſi tot modulatis vocibus ſuavè canentibus, vt per horum gaudia, in ſempiternum Domini ſui gaudium intraret ſancta, ac beata illa anima.

In Pſal. 60. Viam hanc nobis oſtendit S. Auguſtinus: *Salvator*, inquit, *ſi ſpes noſtra factus non eſſet, non nos deduceret: deducit tanquam dux, & in ſe ducit*; per vulnera ſcilicet ſua, tanquam per viam, *& ad ſe ducit, tanquam ad patriam.*

Euſeb. Nie. renb. in vita eius. Hauſit hanc à S. Auguſtino fiduciam P. Alphonſus Eſquierra è Societate noſtra, qui (vt inter pia eius aduerſaria, cùm vitâ functus eſſet, repertum fuit) die quâdam in oratione matutinâ Deum ſupplex, & magno animi affectu precabatur, vt inſtante morte ſacroſanctum lateris Chriſti vulnus via eſſet animæ ſuæ, quâ ad divinum cor eius penetraret, ut cum D. Auguſtino à Chriſto, per Chriſtum, ad Chriſtum duceretur, tanquam ad patriam. Audivit famulum ſuum Deus, & pijs, ardentibuſque eius votis reſpondens cum

Propheta

Digitized by Google

Propheta Regio; *Intellectum*, inquit, *Pſal.* 31.
tibi dabo, Alphonſe, *& inſtruam te in* *verſ.* 8.
viâ hâc quâ gradieris, firmabo ſuper te oculos meos. Verè firmavit ſuper ſervum ſuum oculos ſuos Deus, inſtruxitque in viâ, quâ ad vitam beatam graderetur, quando pia inter oſcula ſacrorum eius vulnerum, & adorandi lateris, in hoc, uti percupierat, vitam poſuit, & patriæ cœleſtis iter ingreſſus eſt. Ita ſuper te, anima mea, firmet oculos ſuos Deus, & inſtruat te in via quâ per benigniſſimi Salvatoris tui vulnera tibi ad beatam æternitatem gradiendum eſt.

Eandem viam tenuit Barbara Borromæa, cuius ſupra memini, quæ morti vicina, familiarem illam ſuam piæ mendicationis exercitationem repetens, P. Antonio Valentino præeunte, cum ad Chriſtum cruci affixum perveniſſet; *hic*, inquit, *conſiſtamus mi Pater, hic locus meus eſt, hic eſſe, aptum mihi, bonumque eſt.* Tum voces, ac gemitus ad illa vitæ divinæ oſtia, ſacratiſſima Domini vulnera, ardentiſſimè ingeminans

Franc. Zach. Hiſt. Societatis lib. 7. *n.* 32. *tomo* 3.

Digitized by Google

nans, oravit, adoravitque, donec in illis vox morientem defecit, & viâ hâc tutiſſimâ Patriam cœleſtem conſecuta eſt.

Apoc. 2. verſ. 21. Portæ cœleſtis Hieruſalem ſingulæ, ex margaritis ſingulis conſtructę ſunt, ſed per has ingreſſus non patet, niſi per portas anteriores, ex vulneribus Domini, veluti totidem pyropis conſtructas, ut de his rectè ille dicat:

Iugl. elog. 86.

Hâc ad arcana cœlitum iter eſt,
Hæc qui ad Deum non intrat per oſtia,
Fur eſt, & latro.

In vita. S. Edmundus morti proximus, Chriſti in cruce pendentis effigiem poſtulabat, cuius vulnera deoſculatus: Hæc, inquit, naves meæ ſunt, quibus plenis fiduciæ velis, per rubrum ſanguinis Dominici mare, in diu optatum patriæ cœleſtis portum, penetrare ſpero.

Aſſerunt Hebræorum Magiſtri, mortuum eſſe Moyſen in brachijs, & oſculis Iehova: Morere & tu anima mea inter brachia, & oſcula ſacratiſſimorum vulnerum Redemptoris tui, & tutum,

ac

Digitized by Google

ac ſecurum tibi iter ad cœleſtem patriam ſpondeo. Ita mortuus eſt P. Ioannes Cardim Luſitanus è Societate noſtra, vir eximiæ virtutis, (pro quo apud ſedem Apoſtolicam agitur, ut Beati nuncupatione honoretur) qui dum vixit, patientem Dominum ſemper coluit, & ſecutus eſt; cùm vivere deſijt, in æternitatis itinere ducem habuit. Nam morti proximus, cùm extremum ſacris Crucifixi ſui Redemptoris vulneribus daret oſculum, refixis ille è Cruce manibus, pedibuſque, moribundum famulum ſuum complexus eſt, ſupremos eius anhelitus, animamque ſuſcipiens, atque ad cœleſtem patriam deducens. Aberrare non poterat, qui in via duce tali vtebatur. *Philip. Alegambe in vita eius.*

Filijs Iſraël ex Ægypto eductis à Deo, per deſertum in terram promiſſionis, ne aberrarent, dux fuit *columna nubis per diem, & columna ignis per noctem.* Ita & nobis, in dubio hoc æternæ ſalutis itinere, columna Dominicæ crucis dux eſſe debet, vulneribus Salvatoris, veluti totidem luminibus refulgentis, *Exodi. 13. verſ. 21.*

ne

ne errore non rèparando à via defle-ctamus.

Verùm uti qui in lubrico, ac præcipiti loco iter facit, ductore aliquo opus habet, qui manum porrigat, ita & quilibet, qui cœli viam ingreditur, duce opus habet opitulante, ſeu manum porrigente. Doctor autem ille Salvator eſt; quod more ſuo, melliflué ſcribit S. Bernardus ad Hugonem Novitium; *Crucifigere*, inquit, *pariter cum Chriſto;* (ſocius dolorum ejus eſto) *nec lædere aliquatenus potuerunt clavi, qui per manus ejus ac pedes, ad tuos uſque pervenient*, ſed totum tibi figent Salvatorem; & pedes tui pedibus ejus confixi, quocumque in lubrico, quovis in præcipitio, gradientur ſecuri, manuſque ejus tuis fixæ, te ad cœleſtem patriam deducent. Vti Cononem, Nazareth oriundum, ſanctiſſimum ac fortiſſimum Martyrem deduxerunt, dum pedibus clavis confixis, ſub Imperatore Decio, currum iuſſus prçcurrere, in genua procumbens, in Oratione ſpiritum reddidit, adeoque Salvatoris

Ep. 351.

Baron. Martyr. 6. Martij.

Digitized by Google

toris ſui pedibus confixus, ſecuro greſſu, cœleſtem patriam aſſecutus eſt. Hanc viam tene, hoc duce gradere Viator quiſquis cœlum petis.

CONSIDERATIO III.

Vulnera Chriſti,

Pignora animarum.

MAgno Reipublicæ bono, Montes, quos pietatis nuncupamus, aperiuntur, ut qui paupertate, vel neceſſitate aliquâ premuntur, dato pignore, ſibi conſulere poſſint. Anima mea, plurimum dubito, an egeſtatem tuam ſat noveris. Dicis fortaſſe cum illo apud D. Ioan. *quia dives ſum & locupletata, & nullius egeo; & neſcis, quia tu es miſera, & miſerabilis, & pauper, & cæca, & nuda.* Ita nobiſcũ agitur, & tamẽ miſeriam noſtram non capimus. Sed quod paupertati noſtræ remedium inveniemus? Apoc. 3. verſ. 17.

Digitized by Google

mus? Ad ſacratiſſima Domini Ieſu vulnera, & pretioſum ejus ſanguinem confugiendum, veluti ad pignora, quibus neque in cœlo, neque in terra digniora, atque opulentiora ſunt. Cum his properandum nobis *cum fiducia* ad Montem pietatis, ad Calvariæ, inquam, Montem, *ad Thronum gratiæ Dei*, & tali datâ arrhâ cœlum ipſum nobis obligabitur.

Heb. 1. v. 8.

In clauſtro animæ.

Pignus hoc, uti refert S. Mater Tereſia, invenerat anima illa admodum afflicta, & ſollicita ante Crucifixum Salvatorem conſiſtens, quæ cùm dolenter agnoſceret paupertatem, & egeſtatem ſuam, atque omninò nihil ſibi eſſe, quod pro peccatis ſuis divinæ offerret Majeſtati, ex ipſo audivit Crucifixo, ſe vulnera, ſanguinem, univerſoſque paſſionis ſuæ dolores illi donare,, ut ea veluti propria patri ſuo cœleſti repræſentaret, iſto pignore ab ipſo omnia impetraturam. Quid ni & nos impetrabimus?

In vita eius,

Objiciebat D. Bernardo dæmon, nullum illi ad æternam gloriam jus eſſe.

Digitized by Google

ſe. Repoſuit vir ſanctus : æternam gloriam duplici titulo Chriſto deberi, primo, quòd æterni patris unigenitus ſit filius, adeoq́ue cæleſtis regni hęres; altero, quòd ſuo illud ſanguine comparaſſet, *factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis.* Primus titulus, ajebat Bernardus, cùm Salvatori meo plus quàm ſatis ſit, alterum ipſe miſericorditer mihi cedit, quo veluti pretioſiſſimo pignore, mihi cœleſtem gloriam polliceor. *Foderunt manus ejus* pergit (Bernardus eâdem fiduciâ) *& pedes, latuſque lanceâ foraverunt, & per has rimas licet mihi guſtare, & videre, quoniam ſuavis eſt Dominus. Cogitabat cogitationes pacis, & ego neſciebam. Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? At clavus reſerans, clavus penetrans datus eſt mihi, vt videam voluntatem Domini. Quidni videam per foramen? ferrum pertranſijt animam ejus, & appropinquavit cor illius, vt non jam non ſciat compati infirmitatibus meis. Patet arcanum cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis Sacramentum, patent viſcera miſericordiæ*

Ad Philip. 2. v. 8.

Serm. 61. in Cant.

ricordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto. Quidni viſcera per vulnera pateant? In quo enim clarius, quàm in viſceribus tuis eluxiſſet, quòd tu Domine ſuavis, & mitis, & multæ miſericordiæ? majorem enim miſerationem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro addictis morti, & damnatis. Meum proinde meritum miſeratio & vulnera Domini ſunt. Hæc fiducia mea, hæc tota ratio ſpei meæ, hac fretus, vitam deinde lætus & ſecurus tranſigam.

Exemp. 51. de B.V. Quam ut & nos cum ipſo tranſigamus ſecuriùs, juvat hac ſuper re audire Diſcipulum. Narrat is quendam, nomine quidem, ſed non moribus Religioſum, fuiſſe ſolitum, quot diebus centum Angelicis ſalutationibus Deiparam venerari. Placuit clementiſſimæ Matri hominis pietas, ſed diſplicebat vita improba. Pro ejus ergo ſalute ſollicita, Deum orat, ut morbum illi gravem immittat, qui animis ſæpè mederi ſolet. Lecto ergo affixus, & morti proximus, rapi ſibi ad tribunal Chriſti viſus eſt, à dæmonibus graviter accuſari;

ſari; atque ab irato iudice illis adjudicari. Quid agat miſer ? ad cujus confugiat auxilium? Supernè, judex illi iratus, inferne, patens infernus; intus, conſcientia accuſans; circum circa, vincientes dæmones, & mox illum abrepturi. Dum autem in cœlum oculos conijcit, an nullus inde exſurgeret patronus, adeſt ecce Miſericordię Mater, pro cliente ſuo ſupplex apud Iudicem filium: illi ſalutationes Angelicas omnes varijs ſchedis deſcriptas, honori ſuo à reo recitatas repræſentat. E contrario dæmones ingentia volumina flagitijs referta producunt. Bilanci utraque imponuntur; volumina longè præponderant. Urgens tamen pro filio prodigo pientiſſima Mater; Nate, inquit, tu ſanguis meus, & caro de carne mea, ego te in ætatem iſtam perduxi, & lac virgineum tot menſibus dedi, recognoſce obſecro, hujus clientuli mei cauſam: non illi paſſionis tuæ ſupplicia, non flagella, non ſpinas, non crucem, non ſanguinem tuum omnem depoſco, ſed ejus tantùm

T gut-

Digitized by Google

guttulam unicam, & minimam, mihi pro miſero concede. Ad quæ Dominus: Ita eſt Mater; tuus ego, & omnia mea tua ſunt; neque fas eſt, ut avertam faciem meam à te. Hæc ita elocutus, è divino latere pretioſi ſanguinis ſui guttam accipiens, virgineis ſanctiſſimæ Matris ſuæ manibus obtulit, quam illa omni veneratione acceptam lanci impoſuit, in qua ſchedulæ ſalutationibus Angelicis inſcriptæ continebantur, eaque alteram flagitioſis voluminibus refertam, pondere ſuo longè ſuperavit. Abſceſſêre dæmones horrendis ululatibus omnia complentes, ac Mariam ſibi ſemper inimicam, peccatoribus ſecurum miſericordiæ perfugium, Dominicũ verò ſanguinem, quem etiam ſceleribus ſuis conculcarunt, pignus eſſe ſalutis æternæ, quiritantes.

In Chron. lib. 4. cap. 35. t. 2.

Poſtremum addo. Tiro è D. Franciſci familiâ moribundus, à mente alienior, exclamabat; *O ſi natus non eſſem!* mox in has voces erumpebat; *libram æquo examine ſuſpendite.* Deinde; iterum,

rum; *etiam in iſtam lancem imponite tantillum de paſſione, cruore ac vulneribus Domini Ieſu Chriſti.* Sibi redditus, rogatus ab adſtantibus, quid ita exclamaſſet? quid ſibi illæ voces vellent? Vidi, inquit, Dei judicium, & in eo omne verbum otioſum, ac minimum quoque defectum ſeverè examinari, operaque mea bona, erratis meis compoſita in multis deficere; rogavi itaque divinam miſericordiam, ut de Salvatoris mei meritis, exiguum quid operibus meis adderetur; quod ubi factum, benignè pro me pronuntiavit Iudex. dixit, & beatam animam Deo reddidit, ac tanto pignore æternam felicitatem obtinuit.

Ad hæc pignora ut in extrema vitæ hora confugiamus hortatur nos Ludovicus Abbas Bloſius; *Moribundus,* inquit, *immaniſſimam Chriſti paſſionem, mortemque ſibi proponat, ineffabilem illam caritatem, quæ eum tam indigna ſuſtinere coëgit memoria repetat, atque in patentia vulnera & in profundiſſimum pelagus immenſæ miſericordiæ ejus, ſeſe cum univerſis* *In conf. puſil. cap. 9. §. 2.*

peccatis, atque neglegentiis ſuis demittat, & immergat, vt mundus, & ſalvus emergat, atque patri cœleſti filium ſuum vnigenitum, quantus eſt, in animæ ſuæ pignus offerat.

CONSIDERATIO IV.

Vulnera Chriſti,

Omnis felicitas.

ILla hominum animis temeritas inſidet, ut ex manuum, neſcio quibus, notis, quæ eventura credunt, ominari non erubeſcant. Dicam ego cum Regio Propheta: *In te ſperavi Domine, dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ. Audito nomine ſortium:* inquit Auguſtinus, *non debemus ſortilegos quærere. Sors enim non aliquid mali eſt. Quid igitur eſt, in manibus tuis ſortes meæ? ſortes dixit, quantum ego exiſtimo, gratiam quâ ſalvi facti ſumus*, quæ ex Domini Ieſu manibus, clavis in cruce confixis, fluxit, fecitque nos, ut Apoſtolus ait, annumerari *in partem ſortis Sanctorum.*

Pſal. 30. verſ. 15.

In hunc locum.

Ad Coloſ. 1. v. 12.

Sortes

Sortes mittuntur in ſinum (in urnam interpretatur ex Hebræo Cornelius noſter) *& à Domino temperantur*. Sinus hi, hæ vrnæ ſunt nobis vulnera Salvatoris, in quibus ſortes noſtræ ad felicitatem, ſalutem, ac bonum omne conſtituuntur, *& à Domino temperantur*. Beatæ vrnæ; felices ſortes, fortunati hi, quibus, illis in ſinubus, in his vrnis ſors obtingit; obtinget autem omnibus, qui ad has vrnas, ad hoſce ſinus, in neceſſitatibus ſuis divinæ voluntatis ſortem expectant, quæ non poteſt non eſſe felix, ac beata. *Proverb. 16. v. 33.*

Refert Pauſanias ſpeculum ad templum Cereris fuiſſe expoſitum, in quo quiſque, ubi odores accenderat, & ritè deam precatus fuerat, eventuram ſibi ſortem felicem, vel infelicem conſpiceret. Fabula hæc eſt, & inſanum dæmonis ludibrium. Veriſſima ſpecula nobis exhibent ſacra Domini vulnera, in quibus infelicitas nulla, ſed felicitas omnis demonſtratur. Ludovicus Bloſius: *Melliflua Redemptoris noſtri vulnera*, inquit, *revera mundiſsimum ſpeculum ſunt*, *In Achai. l. 7. n. 50.* *Marg. Sp. verſ. 19.*

ſi quis illa cum Apoſtolo penetrare ſciret, inveniret in eis, quidquid divinitas exhibere poteſt, quod eſt omnis beatitudinis, ac felicitatis complementum.

In Hiſt. Coll. Mon. Soc. Ieſu an. 1599.

Monaſterij, in Weſtphalia, matrona quædam acatholica binos habebat filios, quos ea in urbe, Societati in ſcholis ſuis erudiendos commiſerat. Vanitati hæc nimis addicta, ad ſpeculum comebat, & componebat ſe crebriùs; quod cùm parvuli obſervant, crucifixum ex arula ſua, materno ſpeculo appendunt, quo ſpectaculo illa permota, atque in Salvatore ſuo vulnerato; quaſi in puriſſima cryſtallo fœditatem, atque errorem ſuum contemplata, hæreſim ejurat, moreſque mutat; à natis feliciùs immortali vitæ reddita, quàm eos ipſa in mortalem ediderat. Ita in divinis vulnerum Domini ſpeculis ſors & felicitas noſtra conſtituta eſt. Id quod etiam edoctus à Deo eſt vir religioſiſſimus B. Henricus Suſo è D. Dominici familia. Hic aliquando magnâ preſſus triſtitiâ, & de ſalute ſua anxius, hanc de cœlo vocem audivit: *Surge, ingre-*

Digitized by Google

ingredere in vulnera mea, nam in his felicitas tua unica conſiſtit.

CONSIDERATIO V.

Vulnera Chriſti,

Auxilium animarum Purgatorij.

R. P. N. Iacobus Laines, ſecundus Generalis Societatis Ieſu, ſub vitæ ſuæ finem, quidquid ad familiam ſibi à Deo commiſſam, vel tuendam, vel promovendam, ubique terrarum facere poſſet, attentè circumſpiciens, impensè per litteras quædam rerum capita commendavit; inter quæ hoc imprimis erat; *Vt quotidiè, quamque frequentiſsimè animarum, quæ in Purgatorio igne cruciantur, ſtudiosè omnes meminiſſent. Nam quandoquidem Societas tantum exhaurit laboris, occupationibus tam multis, ſive litterarijs, ſive ſpiritualibus, eo dumtaxat conſilio, ut homines, ad æternam felicitatem conſequendam juvet, quem ad finem* Franciſc. Zach. To. 2. Hiſt. Soc. Ieſu.

Digitized by Google

creati, pretioque tam grandi redempti ſunt; conſentaneum profectò eſſe, ut eundem proſequentes charitatis ſpiritum, etiam ex hac vita digreſſis, ad curſum conficiendum opitulentur, ne juſta ſit illis cauſa Societatis charitatem, quaſi imperfectam, & mancam accuſandi, & meritò liceat conqueri, ſe medio in itinere, eoque in loco deſtitutos, ubi nullam omnino ſibi ipſis opem queant adferre. Idem ipſum B. Franciſcus Borgia, poſt alterum Generalis III. ſuis vehementer commendatum cupiebat.

Si igitur ea nobis etiam eſt cura, ut clavis, & clavibus ſacrorum Domini Ieſu vulnerum, cœlum vivis reſeremus, potiori ſanè jure idem vitâ functis commiſerationis, & caritatis obſequium præſtare nos oportet. Refert ſancta Mechtildis ſibi à Salvatore revelatum eſſe, quotieſcunque honori ſacrorum ſuorum vulnerum quinquies oratio Dominica, & ſalutatio Angelica recitantur in ſubſidium purgantium animarum, eas mirè recreari, licet pœnis ſuis non continuò eximantur. Sancta Gertrudis non unâ animam

Lib. 5. cap. 10. Grat. Spir.

cælo

cælo tranſmiſit, poſtquam eadem prece, Domini vulnera ſalutaſſet, & deoſculata fuiſſet. Refert S. Antoninus obſervatum non rarò fuiſſe, B. Ioannem de Alvernia, Dominicæ paſſionis ac ſacrorum quinque vulnerum, dum Miſſam faceret pia recordatione, tot animas è Purgatorij flammis ſolviſſe, quot ab ingenti igne vehementer agitato in aërem evolant ſcintillæ. *P. 3. tit. 24. cap. 8. §. 15.*

Matrona pia inprimis, Beatæ Liduwinæ Virgini Hollandæ, ex oppido Schidamo, perfamiliaris, cùm ei diceret, ſi ſalutis ſuæ certa foret, ſe ignibus purgatorijs, tot cupere annis cruciari, quot in vicino vaſe ſinapis grana continerentur. Non rectè, inquit Liduwina, ſapis, ac loqueris dilecta, neque ſatis cruciatibus Salvatoris tui, ac ſacris ejus vulneribus confidis, quæ potentiſſima remedia ſunt, ut te, atque alios à purgatorio igne liberes. Vivere illa deſijt; ac dein magno ploratu ſociæ Liduwinæ apparens, ſuamque diffidentiam accuſans, orat, obſecratque ut meritis ſacrorum Domini vul- *In vita.*

Digitized by Google

nerum è tormentis ineffabilibus eximatur, quod Liduwina præſtitit, cœlumque exemptæ flammis animæ aperuit.

Alexis de Salo de Purg. p. 2. cap. 9.

B. Henricus Suſo, de quo paulò antè, Coloniæ Agrippinæ ſtudijs operam dabat, quibus decurſis, abitum parans, cum altero ejuſdem Ordinis Religioſo, ſibi ob probitatem devincto, pactum inijt, ut qui ipſorum alteri ſuperſtes viveret, pro defuncto, quot hebdomadis, anno integro, diebus Lunę Deo Miſſæ ſacrificium offerret quod pro mortuis legi ſolet; diebus autem Veneris, quod de Paſſione, ſeu ut olim de Plagis Domini. Moritur poſt annos plures ille Suſoni familiaris, quod ubi hic intellexit, orationibus varijs ac pijs operibus amici animā Deo cōmendat. Comparet tandem defunctus; conqueritur de fide ſibi non ſervatâ, ignibuſque purgantibus vehementer eam ob cauſam ſe cruciari. Ait Suſo, ex quo de illius obitu certior factus eſſet, non deſtitiſſe ſe animam ejus Deo impensè commendare.

Sangui-

Digitized by Google

Sanguinem , *Sanguinem* clamabat defunctus, *Sanguinem* poſco. Vbi Miſſæ ſacrificia mihi promiſſa , & pacto firmata? quę Paſſionis,ac Vulnerum Domini recordatione ac meritis, prçſentiſſima purgantibus animabus ſunt auxilia. Damnavit Suſo oblivionem ſuam, & promiſſa ſacrificia perſolvere cœpit, ſociumque ſupplicijs exemit. *Sanguinem*, *Sanguinem*, flagitant à nobis defuncti, quem in ſacra Generali, & quacunque corporis Domini Communione, in ſacroſancto Miſſę ſacrificio, quod vel de Defunctis, vel de Paſſione Domini, vel de immaculata Deiparæ Conceptione, more Hiſpanico, legitur, vel novæ hujus coronæ uſu, illis haurire poſſumus, purgatorijs flammis extinguendis efficaciſſimum.

Ita legimus in narratione Miſſionum, quas per Regnum Neapolitanum Patres noſtri inſtituerunt, quandam virtutis magnæ Matronam ipſo Communionis Generalis die vidiſſe Chriſtum cruci affixum, venerandum latus *Scipio Paulucius.*

latus ſuum expandere, ac copioſè ſanguinem fundere, vivis atque defunctis ſalutarem.

VVLNVS LATRIS CHRISTI.



§. I.

An ad ſalutem noſtram neceſſarium fuerit?

Cap. 19. verſ. 34. DE ſacratiſſimo hoc vulnere Ioannes Evangeliſta ſolus meminit. Ille

Digitized by Google

Ille ſcilicet *diſcipulus, quem diligebat Ieſus qui & ſupra pectus Domini in cœna recubuit*; cui proinde conveniebat acceptum à Salvatore vulnus cordis, atque amoris, præ reliquis, poſteritati tradere. *Ioan. 21. verſ. 20.*

Quærere meritò quis póſſet, quâ neceſſitate Chriſtus hoc lateris vulnus ſibi infligi permiſerit, cùm tantùm *Vulneratus ſit propter iniquitates noſtras*, vt eis mederetur; vulnus autem poſt mortem acceptum peccato medicina eſſe non potuit, cum neque meriti, neque ſatisfactionis haberrationem, horum enim mortui capaces non ſunt. Cùm autem Chriſti corpus, vt ait Chryſoſtomus ob eam, quam paſſum erat, ignominiam, & ob acerbiſſimos cruciatus, tantâ injuriâ, toleratos, omni eſſet veneratione, ac honore digniſſimum, quid eſt, quod hoc lateris vulnus lanceâ fuerit aperiendum? Temerariè hoc aggreſſus eſt miles, vt ait Chryſoſtomus, & inſigni crudelitate, ut Iudæis placeret, qui nihil niſi Chriſti Ieſu mortem ſpirabant, quam illis *Iſa. 53. verſ. 5.*

ex

Digitized by Google

ex atroci vulnere in latus adacto, conſtare voluit. Si verò ad Deum, & Chriſtum aſcendamus, voluit ipſe à paſſione ſuâ, ac morte vulnerari; ut non neceſſitate militis ferientis, ſed voluntate propriâ eam obiviſſe crederetur; utque ex hoc vulnere certum reſurrectionis ſuæ teſtimonium firmaret, quod Thomæ Apoſtolo, alijſque prodeſſet. Tandē propter admiranda ſanguinis & aquæ myſteria, quæ ex latere fluxerunt, voluit non vivo ſibi, ſed mortuo, illud aperiri, vt priùs intelligeretur conſummata redemptio per mortem, à qua virtus Sacramentorum profluxit, & Eccleſiæ ianua aperta eſt quam in apertione lateris, & in effuſione ſanguinis, & aquę ſignificarentur, vt deinde oſtendemus. Cùm enim præter naturæ ordinem ſit ex mortuo corpore ſanguinem, & aquam fluere, ut paſſim cenſent Patres, & Doctores Catholici, fluxiſſe hæc ex Chriſti latere, miraculum erant, à divino, ut Nazianzenus loquitur, Salvatoris corde profectum, quibus paſſionis, ac mortis ſuæ fru-

fructum indicabat, nobis per ſanguinem ſuum, Sacramentis mediantibus communicandum, quod argumentum priuſquam proſequar, non diſpliciturum confido, ſi piâ curioſitate inquiſivero,

An in ſiniſtro vel dextro latere Chriſtus lanceâ percuſſus fuerit.

§. 2.

QVi ſiniſtro adhærent lateri, aiunt ex hoc in Adamo formatã Euam, ita & ex eodem in Chriſto prodijſſe Eccleſiam. In ſiniſtro latere domicilium eſt cordis, hoc petebat miles, cùm vitæ ſit principium, ſi fortè non obijſſet Salvator, ut Iudæis placeret, qui in tota paſſionis ſere, non niſi mortem ejus ſpirabant, uti iam dixi.

Verùm rationes alias videtur pro latere dextro perpendere S. Bernardus cùm ait; *Et quidem Dominus meus Ieſus poſt cætera ſua ineſtimabilia in me bene-* *Serm. 7. in Pſal. qui habitat.*

ficia

ficia pietatis, etiam dextrum ſibi propter me paſſus eſt latus fodi, quod ſcilicet non niſi dexterâ mihi propinare vellet, non niſi in dextera locum mihi parare refugij. Vrbanitatis, atque humanitatis obſervantiam, & laudem vult eſſe Bernardus in Salvatore, qui non ſiniſtra, quod inurbanum eſt, ſed dextera nobis pretioſum ſuum ſanguinem propinavit, adeoque dextrum latus ſibi aperiri voluit, ut in dexteram, *cellam, inquam illam ſuam vinariam* nos introduceret. Ita Bernardus, qui quaſi propinatione reciprocâ ſalutare cuperet Dominum, *Vulneret*, inquit, *cor meum Domine Ieſu, vivus & efficax ſermo tuus, penetrabilior omni lancea acutiſsima, pertingens uſque ad diviſionem animæ, & producens ex ea aquam de dextro latere meo, vice ſanguinis, & aquæ, amorem tuum, & fratrum tuorum,* quo ſcilicet ſitienti in cruce Salvatori ſuaviſſimè propinet. Ita piè, ita ingenioſè, neque verè minus, indicat ſanctus hic Pater dexterum Chriſti latus à milite fuiſſe perfoſſum; quod ut Gretſerus ait, clarè ex ſancto Auguſtino

Cant. 1. v. 3.

Serm de Paſſ. Dom.

guſtino elicitur, qui bonum latronem ſentit à dextero Chriſti latere fuiſſe crucifixum, eumque aquâ & ſanguine ex illo profluente potuiſſe perfundi, atque hujuſmodi ſanctiſſimo Baptiſmo dilui. *Tom. de Cruce lib. 1. cap. 33.*

At omnem prorſus dubitandi, hæſitandique materiam, quæ circa id oriri poſſet, dirimit, & aufert ſacra Sindon, cui Chriſti Domini corpus ſacratiſſimum involutum, ſepulturæ traditum fuit, hodie penes Sereniſſimum Sabaudiæ Ducem aſſervatum; in quâ ſanguineis lineamentis divini illius corporis imago impreſſa remanſit, eâdem prorſus formâ, atque figurâ, quâ conſtabat, quando è Cruce depoſitum eſt. Nam in eo clarè, atque evidenter perſpicitur dextrum revera Chriſti Domini latus, uti teſtatur Iacobus Boſius, gravis & eruditus author, non autem ſiniſtrum lanceâ percuſſum fuiſſe, ſi quidem imago eidem linteo impreſſa, illius vulneris cicatricem in ſiniſtro latere oſtendit, typorum effectum prorſus imitata, qui *Lib. 1. de Cruce cap. 17.*

quod in dextro habent, proponunt in ſiniſtro. Quod non ſine myſterio, nec ſine Domini miſericordia factum eſt, qui in dextero latere vulnerari voluit, ut ex ſacro hoc vulnere, quod ſiniſtro lateri noſtro oppoſitum eſt, divinum amorem ſuũ in cor noſtrũ effunderet.

Revel. l. 7. cap. 15. Idem Beatiſſima Virgo Birgittam edocuit, latus ſcilicet dexterum Filij ſui dilectiſſimi fuiſse percuſſum, adeò immaniter, inquit Birgitta, ut ad ſiniſtrum lancea pervadens, cor Domini penitus transfixerit, ut ſatis ſuperque videatur conſtare, dexterum Domini latus fuiſse perfoſsum. Siquis tamen, ait religioſiſſimus, atque doctiſſimus Gretſerus noſtér, ex me quærat, quid ego in hac difficultate ſentiam, aliud non reſpondebo, quàm non referre utrum arbitreris, dummodo ſacratiſſimum hoc Redemptoris vulnus piè venereris, oſtiumque reputes, quo tibi ad cor ejus facilis aditus patefactus ſit: neque enim à corde Chriſti aberraveris ſive ad dexteram, ſive ad ſiniſtram ingre-

Tom. 1. de Cruce lib. 1. cap. 33.

ngrediendum putes. *Tibi enim eſt oſtium apertum*, inquit Auguſtinus, *quaudo eſt latus lanceâ perforatum; quid enim manavit recole, & elige quà poſſis intrare.* Itaque, Auguſtino adhortatore, recolamus quæ bona nobis per divinum illud lateris Dominici, vulnerumq́ue reliquorum oſtium, manaverint, ea omninò abundantia, quâ major eſſe non ponit. *Serm. 111. de diverſis.*

CONSIDERATIO I.

Vulnus lateris Chriſti

Principium, & origo Eccleſiæ, & Regenerationis noſtræ.

VVlnus aliud nullum crebrius dilectis ſuis exhibuit Salvator quàm lateris, quia uti cordis, ita & amoris vulnus eſt, & ſimul Eccleſiæ, noſtræque regenerationis fons, & origo, medijs, quæ ex illo fluxerunt, Sacramentis, prævià tamen Chriſti

Digitized by Google

morte, per quam virtutem omnem acceperunt, & Eccleſiæ janua aperta eſt. Ita enim ab æterno decretum erat, ut non niſi poſt Redemptoris obitum ſanguine & aquâ, cœleſti prodigio, ex latere ejus aperto exeunte, ſimul exirent Sacramenta, per quæ nos regeneraremur, & Eccleſia conſtitueretur. Hæc enim *Baptiſmo* naſcitur; *Confirmatione* roboratur; *Euchariſtiâ* paſcitur, & perficitur; *Pœnitentiâ* ſanatur; *Extremâ unctione* munitur; *Ordine* gubernatur; *Matrimonio* propagatur; adeoque ex Chriſti latere procedit, uti non uno loco, non minùs doctè, quàm ingenioſè teſtatur S. Auguſtinus, *Aſcendat*, inquit, *Sponſus thalami ſui lectum, dormiat moriendo, aperiatur latus eius, & Eccleſia prodeat virgo, ut quemadmodum Eva facta eſt ex latere Adam dormientis, ita Eccleſia formetur ex latere Chriſti in Cruce pendentis.* Et alibi idem Auguſtinus, quod ad Sacramenta ipſa attinet: *Non dixit*, inquit, *Evangeliſta, percuſſit*, aut *vulneravit*, *ſed lanceâ latus eius aperuit, ut illic quodammodo vitæ*

De Symb. ad cap. 6.

oſtium

oſtium panderetur, unde Sacramenta Eccleſiæ manarent, ſine quibus ad veram vitam, non intratur.

Hanc veritatem magno Dei beneficio, pariq́ue myſterio, atque documento S. Gertrudis agnovit, dum communicatura ex Chriſti latere vidit ſacram prodire hoſtiam. Vidit & Sanctia Carillo pari prodigio baptiſatos infantes ex eodem corde & latere Salvatoris prodeuntes, veluti ex fonte Sacramentorum omnium. Nam vt docent Cardinalis Toletus & Franciſcus Zuares, cùm Baptiſmus ianua ſit ad Sacramenta reliqua, eorumdemq́ue finis ſit, & conſummatio Euchariſtia, rectè dicunt Patres, illa, atque etiam Eccleſiam, ſimul cùm ſanguine & aqua ex Chriſti latere fluxiſſe, noſq́ue ex eodem *in veram*, vt cum Auguſtino loquar, *vitam* regeneratos eſſe. Ita & Leo Magnus, Pontifex Maximus; *Tunc regenerationis potentiam ſanxit, quando de latere eius fluxit ſanguis redemptionis, & aqua baptiſmatis.* Cui conſonat S. Ambroſius; *Ex illo incorrupto corpore, ſed defuncto,*

Lib. 3. Inſtit. Spir. cap. 10.

Mart. de Roas lib. 2. vitæ eius cap. 1.

In cap. 19. Io. Tom. 2. in 3. par. S. Tho.

Epiſt. 4. c. 6.

Lib. 10. in Luc.

functo, continuò vita manavit; aqua enim & ſanguis exivit, illa quæ abluat, ille qui redimat. Quæ verba, vti & alia quædam ſanctorum Patrum, quibus huic etiam vulneri lateris redemptionem humani generis videntur adſcribere nullo modo contradicunt iam ante dictis, quòd Christus poſt mortem ſuam nihil nobis meruerit, cùm viator ampliùs non eſſet, vt communiter docent omnes Theologi, ac propterea neque tunc nos redemerit, cùm non niſi per eius merita redempti ſimus, ſed intelligi poſſunt eiuſmodi SS. Patrum dicta cum Franciſco Suarez; vel ut ante mortem ſuam Chriſtus prævidens iniuriam illam corpori ſuo mortuo inferendam, eam acceptarit, & cum reliqua paſſione ſua tamquam ultimum eius complementum æterno Patri obtulerit, & ſic per illud etiam vulnus & ſanguinem qui ex eo profluxit redemptio humani generis perfecta ſit: vel certè ut ideo dicant ſanguinem illum fuiſſe *redemptionis*, & *redemiſſe* quod per illum ſignificata fuerint Sacramenta Eccleſiæ, quæ

Tom. 1. in 3. p. diſp. 39. ſect. 3.

ex

ex illo vulnere lateris dicunt profluxiſse, & per quæ efficacia redemptionis noſtræ, & virtus ſanguinis Chriſti hominibus applicatur. Qui manifeſtè videtur eſse ſenſus S. Ambroſij, nam poſt verba ſupra allata ſtatim ſubiungit: *Bibamus ergo pretium noſtrum, vt bibendo redimamur*, agens de poculo Euchariſtiæ. Atque ita hoc lateris vulnus Eccleſiæ, ac regenerationis noſtrę fons eſt, & origo.

Aptè videor poſſe mė hoc loco uſurpare nomen illud, quo Salvator juxta Alcazarij noſtri mentem ſe ipſum appellat, cùm ait, *Ego ſum* A *&* Ω, *Principium, & finis*; nam ut A litterarum eſt Principium aliarum, notaque abſolutionis, ac felicitatis apud Romanos, aliaſque gentes, ita & Salvator in ſacris ſuis vulneribus A eſt, Principium ſcilicet, & ſignum abſolutionis, felicitatis, ac ſalutis noſtræ. Neque, ut Ioannes Pierius Valerianus rectè ac piè obſervat, Alpha ſimplex eſt Salvator; ſed Pentalpha, figura illa antiquiſſima, & vulgatiſſima

Apoc. 1. v. 8.

Lib. 47. Hieroglif.


 (quam

(quam alibi Pentagonum diximus) eſſe demonſtratur: nam lineæ per angulos ſuos (uti in ſubjecta figura patet) ductæ à pedum ad manuum vulnera, ac deinde ad vulnus lateris, Pentalpha conficiunt perfectiſſimum, ſingulaque vulnera Alpha ſunt , principium ſcilicet Eccleſiæ, regenerationis, ac ſalutis noſtræ; quod licet à SS. Patribus potiſſimũ vulneri lateris Domini tribuatur, omnibus tamen , & ſingulis vulneribus adſcibendum eſt ; nullum enim eſt, quod non ſit principium Eccleſiæ , atque origo regenerationis, ac ſalutis noſtræ , quæ, uti à Salvatore tanquam ab A habet principium, ita & in ipſo , veluti in Ω, & fine noſtro conquieſcit. Cujus ego, nobis tã deſideratæ veritatis non aliud quàm ipſiuſmet Domini Ieſu teſtimonium pono , qui ultimo Apocalypſis capite, hæc ſuprema ſui in nos affectus verba pronunciat: *Ego ſum* A *&* Ω , *primus & noviſſimus, principium , & finis. Beati qui lavant ſtolas ſuas in ſanguine Agni , ut ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent*

trent in civitatem. Per quas portas quid aliud, & quid ſuavius quàm ſacratiſſima Domini vulnera intelligamus? quando hoc ipſemet tam clarè inſinuat, dicens: *Beatos qui lavant ſtolas ſuas in ſanguine Agni, ut ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas* vulnerum, ſcilicet in cruce, hoc eſt, ligno vitæ acceptorum, & manantium divino ſanguine in ablutionem omnis peccati, tamquam per principia & fines ſalutis noſtræ intrent, primò quidem in civitatem Sanctorum, hîc in Eccleſia militantium, ac denique in civitatem domeſticorum Dei triumphantium in cœlo, & in Deo, beatitudinis omnis noviſſimo fine quieſcentium.

Habes amice Lector, eorum, quæ diximus in ſubjecta imagine explicationem, illam pio oculo dignare, & poſtquam animum oblectarit, tibique in ea ſatisfeceris, ad conſiderationis hujus extremum perge, ut magis magiſque intelligas, tuæ principium regenerationis.

Digitized by Google



Digitized by Google

Refert Lucius Marinæus Sanctij Garſiæ Aragoniæ Ducis ſeptimi matrem, Vracam nomine, illo gravidam, cùm in bello contra Mauros ſocia Garſię Ennico marito eſſet, forem & animi plenam mulierē, lanceâ in latere, grādi vulnere, ab hoſte percuſſam, fuſo exercitu, & Ennico occiſo, in fuga mortuam, in Navarrę montibus ſolam concidiſſe: ubi fortè à Nobili quodam, cui Guevara nomen erat, deprehenſa, & agnita, cùm, quem utero geſtabat, infantulus per vulnus manum exereret, eum è matris utero excidit, ac teſtibus adhibitis, ſacro fonte ablutum, uxori alendum commiſit, ſummo ſilentio: paſtoritio deinde habitu, & famularibus munijs injunctis, alumni ſui fortunam, ipſi etiam ignotam, per annos omnino quindecim diſſimulavit. Quo tempore evoluto, cùm Aragoniæ Proceres ad eligendum ſibi Principem conveniſſent, Guevara alumnum ſuum illis obtulit, poſtquam, mirantibus rei totius ſeriem, prout contigerat, ordine explicaſſet, fuitque

To.1. Hiſt. Hiſp. lib.8.

Digitized by Google

q́ue is magno omnium conſenſu, ac plauſu Aragoniæ Dux ſeptimus renuntiatus.

Cap. 46. verſ. 3. Geſtabamur omnes intra viſcera miſericordiæ Dei, ac Salvatoris noſtri, uti ex Iſaia diſcimus. Longinus lanceâ latus ejus aperuit, per quod ad vitam æternam ſumus omnes regenerati.

Lib. v. 11. cap. 7. Ita ex Chriſti latere ac corde renatum dicere poſſumus octennem puerum, de quo lego in hiſtoria Eccleſiaſtica Iaponiæ. Hic cùm nondum ſacrâ tinctus aquâ convenisſet in æqualium ſuorum cœtum, quibus Sacerdos noſter doctrinam Chriſtianam explicabat, obſervaretq́ue bene meritis præmiola diſtribui, & ipſe ſibi unum aliquod petijt à patre Catechiſta, qui ei Chriſtum dedit cruci affixum, non jam mortuo, ſed exſpiranti ſimilem. Obſervat puer crucifixo ſuo deeſſe lateris vulnus, quod inter ſociorum manus in alijs icunculis animadverterat querulus itaque aliā petit imaginem, in qua illud apareret; quam ubi acce-

accepit, perfoſſum Domini latus attentè contemplans, ſuaviſſimeque deoſculans, exclamat, cupere ſe baptiſari, atque ita ex ſacratiſſimo Salvatoris latere, cœlo renaſcitur, generatione omninò digniore, quàm quæ Principum magnorum eſt.

Hunc ſenſum altè imbiberat Eleonora d'Inceſtroſa Domini ac Magiſtri Ioannis de Avila, viri religioſiſſimi, ac doctiſſimi diſcipula, quæ contemptis, ac rejectis illuſtriſſimæ familiæ ſuæ titulis & nomine, non alio voluit compellari, quàm Eleonora de latere Ieſu; omnem dignitatem, nobilitatem, ac felicitatem in hoc ſitam exiſtimans, quòd ex illo renata eſſet, ad tam dignę, divinæque generationis normam, vitam, moreſque componens. Admirare anima mea nobiliſſimæ, ac ſanctiſſimę Matronæ hujus pietatẽ, & imitare. *Lud. Gran. in vita M. Io. Avila c. 4. §. 6.*

CON-

CONSIDERATIO II.

Vulnus lateris Chriſti

Magnes, ſeu Electrum animarum.

Lib. 16. cap. 16. VIm ſuam habet Electrum, majorem Magnes, qui, Plinio teſte, hominem ſtitit, multo ferro munitum, ut progredi non poſſet. Magna vis eſt ſacratiſſimorũ Domini vulnerũ, quæ in manibus, pedibus ac latere in redivivo corpore ſervavit, ac cœlo intulit. Vim tamẽ præ reliquis maiorẽ lateris vulnus amabile ſępè ſępiùs exhibuit, quãdo etiã cœlo adſcriptos in amorem ſui rapuit, uti patet in venerabili Beatrice de Ferraria, Ordinis S. Dominici, quæ poſt mortẽ Religioſæ cuidã ſe videndam exhibens, ac multa cum ea, de his, quæ ad Deum, ac divinæ Majeſtatis in cælis gloriam ſpectant, conferens, in receſſu tandem illam rogavit, ut

Ioan. à S. Maria in Hiſt. Ord. S. Dom.

ut pro ſe lateri Crucifixi ſui amicũ ac piũ oſculũ reverenter figeret; Magnes itaque ferrũ trahit, & acum nauticã, temperans illâ naviũ curſũ, nõ minùs quàm ſtellâ polari visâ, dirigit. Vulneratũ cor Domini Ieſu Magnes eſt, animas noſtras ad ſe trahẽs, etiã terrenas, ac peccatrices, ut plenis bonę volũtatis velis ad Deum, curſum noſtrum convertamus. Ita ipſe Dominus teſtatur: *Ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*; hoc eſt, cùm fuero in cruce fixus, & in ea manibus, pedibus, atque latere confoſſus, ſanguinis mei merito, exemplo meo & amore, omnia hominum genera, per amicam vim attraham, uti ait Cornelius, ut eos fratres meos, imò filios meos faciam; ut ſicut ego ſum Filius Dei naturalis, ſic illi filij Dei ſint adoptivi. *Io.12.v.31.*

Quod idem elegantiſſimè Salvianus docet: *Sicut illas*, inquiens, *naturæ admirabilis gemmas ferunt*, electrum intelligit, *quæ ferro propiùs admotæ, duriſſimum licet chalybem, affectu quaſi adſpirante ſuſpendunt: ita etiam ille, id eſt ſumma & clariſ-* *Lib. 4. de provid.*

ſima

ſima negotiatorum cæleſtium gemma, hoc voluit, ut dum ſe, licet duriſſimis nobis, deſcendens de cælo propiùs adjungeret, affectu ſuo nos quaſi amoris ſui manibus admoveret, ut agnoſcentes utique dona ſua, ac beneficia, intelligeremus quid nos pro Domino tam bono facere conveniret, cùm ille pro malis ſervis tam multa feciſſe comperiretur.

Electrum ferrum trahere hactenus non legi, neque audivi, niſi ab uno Salviano, cùm apud Ezechielem electro
Cap.1.v.4. comparatum Salvatorem, ferrea ad ſe corda trahere aſſerit, uti attraxit illum è ſancti Franciſci Familia Tironem,
Luc. V V ad. Tom.2. An. Min. à Chr. 1261. n.16. qui ſuſceptum religioſæ vitæ inſtitutum rejecturus, cùm ante aram ſummam afflictus Deum deprecaretur, vidit è ſanctiſſimi Sacramenti tabernaculo Chriſtum procedere lateris vulnus, ac reliqua ſibi objicientem, ſuamque inconſtantiam graviter arguentem, quod ſuave religionis jugum ferre detrectaret, cùm tanto amore atrocia adeò pro ipſo vulnera pertuliſſet. Erubuit Iuvenis, & depulſa omni tentatione, potenti illo ſacrorum vulnerum electro

electro attractus, Salvatori ſuo in omnem vitam adhæſit.

Jta attracta fuit ſancta Ludgardis, quæ cùm ætatis annum ageret tantùm duodecimum, jam tum à pluribus expetebatur ad nuptias, quas Ludgardis pater non improbabat, neque ipſa averſabatur; cumque uni ex illis fortè familiariùs loqueretur, oſtendit ſe illi Salvator, cruentum latus & cor ſaucium detegens, juſſitque eam deinceps, nihil præter ſe, quærere. Ex illo humana omnia Ludgardi jam vileſcere, ut unicus, & ſolus amor illi Crucifixus eſſet; uſque adeò à conſpecto lateris Domini ſacro vulnere, in illum rapta fuit. *Barth. Fiken in vita 16. Iunij.*

Magnete eodem attractus fuit inſignis ille in Pariſienſi Academia Doctor. Cùm is Franciſcanæ familiæ ſe addixiſſet, mater ejus, quæ inopià haud mediocri laborabat, & ad alia beneficia illud adjecerat, quòd illum, donec ſtudijs per otium vacaret, ſuarum manuum laboribus ſuſtentarat, multis lacrymis, & clamoribus ſuam *S. Ant. p. 3. Hiſt. c. 9. § 7.*

orbitatem lamentari cœpit, & tam filium, quàm illius Ordinis Patres omnes, tanquam inhumanos, & injuſtos accuſare. Quibus ille commotus, cùm jam in propoſito nutaret, oraretque ante Crucifixi imaginem, quaſi veniam ab eo petens diſcedendi ad matrem ſublevandam, vidit è perfoſſo Chriſti latere manantem cruorem, ſimulque hanc vocem audivit: *Ego te cariùs nutrivi, quàm mater tua; quare deſerere me non debes propter matrem.* His ille viſis, & auditis ſtupefactus, & ſimul ita roboratus eſt, ut deinceps maternas omnes lacrymas, & querelas facilè contēpſerit, & Domino iterum atque iterum ſe trahenti, in arrepto ſemel inſtituto, per omnem vitam conſtanter adhæſerit.

Paul. Barry in an. Sac. p. 1. devot. 2. cap. 7. Non aliter etiam exaltatus à terra Dominus ad ſe traxit nobilem illam in Hiſpaniјs puellam, quæ æqualium ſocietatem fugere ſolebat, in qua certa temporis, ſæpè etiam animæ jactura eſt. Hæc cùm à matre, & ſororibus geniali quodam die abducta eſſet ad tripu-

tripudium, atque ad hoc à juvene nobili invitaretur, elevans in cœlum oculos, vidit ſibi ſupra caput aſtantem Dominum Ieſum, vulneribus toto corpore conciſum, manibus, pedibus, ac latere multo fluentem ſanguine, & facie laboranti ſimilem, ac multo ſudore madentem, qui illam compellans: *Vide*, inquit filia, *quàm graviter me afficiat ſociarum tuarum levitas, in quam te inſinuas.* Monet illa matrem, & cum ea ac ſororibus domum ſe recipit; ac deinde mundo valedicens, eas elegit ſocias, apud quas Salvatori ſupplicia ſua, ac vulnera renovatura non eſſet. Quando tandem, anima mea, patieris & tu te trahi ſuavi illo Magnete venerandorum Domini vulnerum, diſſolvens ferreæ voluntatis tuæ catenas, quibus in moleſtiſſimo affectionum tuarum carcere captiva jam nimiùm diu detineris?

Digitized by Google

CONSIDERATIO III.

Vulnus Lateris Chriſti,

Domicilium animarum.

Io.13.v.3. SAlvator noſter, in ſermone illo affectûs divini pleniſſimo, poſt cœnam ultimam habito, ſignificavit Apoſtolis abire ſe, ut illis locum pararet. Et ſanè in terris gratiorem nullum parare poterat, quàm ſacri lateris, ſacrorumque vulnerum ſuorum domicilium. Rectè, & ſubtiliter more ſuo D. Auguſtinus, cùm ait, non dicere Evangeliſtam, militem lanceâ percuſſiſſe; aut tranfixiſſe latus Domini, ſed illud aperuiſſe, ut in vulneris latitudine intelligeremus oſtium nobis apertum eſſe, per quod in ſuperbenedictum cor ejus penetraremus: *Vigilanti verbo,* inquit ſanctus Doctor *Evangeliſta uſus eſt, ut non diceret, latus ejus percuſſit aut vulneravit, ſed aperuit, ut illic quo-*

Tract. 120. in Ioan.

Tract. 120. in Ioan.

dam-

Digitized by Google

dammodo vitæ oſtium panderetur. Et alibi: *Longinus aperuit mihi latus Chriſti lanceâ & ego intravi. Hîc fidenter, habito, hîc me jucundè reficio, hîc quieſco ſecurus.* Hunc D. Auguſtini ſuaviſſimum affectum etiam ipſe Salvator comprobavit. Nam cùm vir quidam pius magno illum zelo oraret, ut homines omnes in divinum ſuum latus, veluti in tutiſſimum, ac ſuaviſſimum domicilium admitteret, illud amplum adeò ac ſpatioſum illi Chriſtus oſtendit, ut nulli non recipiendo ſufficeret. *In Mart. cap. 23.* *Auctor quadrigæ virtutum.*

Cui oſtento D. Auguſtinus conſonat, cùm ait, *Si Petrus antequam Chriſtus pro omnibus crucifigeretur, regni cælorum claves accepit, quà illuc introivit latro ille, iam non reus, niſi per latus quod aperuit Iudæus. Et nunc veniant omnes quicunque amant paradiſum, locum quietis, locum perpetuæ felicitatis,* qui etiam in mortali hac vita vobis poteſt obtingere. *Venite omnes, intrate omnes, eſt quà poſſitis intrare; patet latus Redemptoris: Oſtendit enim ille latro quò debeant omnes intrare, neminem ſuo exemplo docuit deſperare.* Ita Augu- *Serm. de temp. Barbar.*

ſtinus, qui & eodem loco ait, Dominum Salvatorem hortari nos, *ut contendamus intrare per anguſtam portam*, anguſtam, inquam, vulnere, ſed auguſtam munere, cùm *per has anguſtias penè iam totus mundus intraverit. Hæc porta Domini, juſti intrabunt in eam*, intrabunt & injuſti, hi ut juſtificentur, illi ut ſanctificentur magis. Ad hanc portam, ad hoc domicilium invitat nos ille, qui olim appoſitè cecinit:

Lucæ 13. verſ. 24.

Pſal. 117. verſ. 20.

Sidron. de Hoſſche in elog. de vul. Dom.

Aſpicis ut pateant, & ſe tibi vulnera pandant?
Præcipuè quod ſub pectore vulnus hiat:
Fixit in hoc ſedem, & ſolium regale locavit,
Hic aulam voluit Rex Amor eſſe ſuam.
Hic ſedet, & valvis quemvis admittit apertis;
Noctes atque dies omnibus Aula patet.
Quò veniunt plures, plures agit ille triumphos;
Nec, niſi non omnes velle venire, dolet.

Hic

Hic ego ſim felix, hac degam & lætus in Aula.
Pulchra ſit hæc oculis Regia ſola meis.

Regum, Principumque Majeſtas, & potentia ſplendidas molitur ſubſtructiones. Chinarum Regis palatium ſeptuaginta novem aulas numerat, inter quas quatuor ornatiſſimæ, atque opulentiſſimæ ſunt, ære, argento, auro, gemmiſque, inſigni arte elaboratæ, Monarchis hiſce libentes, volenteſque palatia ſua cedemus, cùm vulnera Domini ſacratiſſima, ejuſque cor tam amabile nobis pateant: Nam ut more ſuo pijſſimè Abbas Bloſius; *Apertum eſt Chriſti latus, ut nobis acceſſum aditumque pius Ieſus ad cor ſuum patefaceret. Vnde declaravit ſuum erga nos incomprehenſibilem amorem. Et quid ultra nobis potuit facere, quàm fecit? Ipſum cor ſuum, tanquam ſecretiſſimum cubiculum, nobis reſeravit; ſunt namque deliciæ ejus eſſe nobiſcum, & in ſilenti tranquillitate, & tranquillo ſilentio voluit apud nos quieſcere. Dedit nobis cor ſuum dirè vulneratum, ut in eo commoraremur, donec penitus expurgati, &*

Maiol. l. 23. dier. Cant.

Marg. Sp. cap. 19.

mundati, ſuoque cordi conformes, idonei, ac digni ſimus, unà cum ipſo, in æterni Patris cor abduci. Nobis præbet cor ſuum, ceu lectulum purpurei ſanguinis ſui rubentibus roſis adornatum; repoſcitque cor noſtrum, ceu lectulum candidis mundorum operum condecoratum lilijs. Hactenus Bloſius, quo quid poſſit in hoc argumento dici ſuavius?

Serm. 54. de paſſ. Dom. *Diſce habitare in hoc vulnere lateris,* ait Ioannes Lanſpergius, ex S. Brunonis familia vir doctus ac Religioſus. *Si enim amica eſt, aut ſponſa anima tua, ubi ſuavior illi quies erit, quàm in hoc ſponſi ſui vulnere? Si columba es, ibi locus eſt tibi ad nidificandum, & fœtus tuos producendos, fovendos, atque alendos. Si paſſer eſſe decreviſti (* in annuo ſcilicet tuo receſſu, ut ab auctore tantillum diſcedens, more noſtro loquar*) nuſquam tibi magis conveniens erit locus, ut abſtractam, & ſolitariam (* octiduanam ſcilicet illam*) vitam agas, quàm in corde Chriſti. Si turtur es, & caſtis, varijſque gemitibus ad Deum ſuſpiras, hic locus requietionis, & conſolationis erit. Hîc eſuriens manna invenies,*

venies, quod edas: ſitiens, hîc fontem ſalutis hauries, ubi bibas: hîc enim eſt fons paradiſi, & à paradiſi medio egrediens, & in fidelium ſe corda diffundens. Eſt hîc oſtium Arcæ, per quod intrant non perituri diluvio.

Accomodus hîc mihi erit Pater Alphonſus Eſquiera, qui anno 1623. in annuâ ſpiritualium S. P. N. Ignatij Exercitiorum recollectione, non contendebat, non poſtulabat à Deo aliud, niſi ut intimè anima ſua, animæ Chriſti Ieſu vniretur. Poſtremo itaque recollectionis die, cùm in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio eandem gratiam patrocinio Deiparæ à Deo peteret; videbatur, inquit ipſe, anima mea virgineis ejus manibus à me tolli, & ſanctiſſimo lateri Salvatoris mei imponi, cui operi deſideratiſſimo, & ipſe divinam manum ſuam adhibebat. Hoc in vulnere habitabat Alphonſus, in hoc quieſcebat, & à laboribus reficiebatur, Redemptori ſuo, quod optaverat intimè unitus, eximio Exercitiorum ſpiritualium fructuosè peractorũ documento.

Hoc cordis, hoc ſacrorum Chriſti

Digitized by Google

Sur. in vita. vulnerum domicilium incolebat Sanctus Comes Elzearius, qui à Delphina conjuge rogatus, ubinam, quidve ageret? agere ſe ajebat, in vulneribus Salvatoris, atque in illis lætè vivere, neque in terris aliud ſe domicilium quærere. Idem ſenſus fuit, eademque pie- *In Elog. vita manuſ.* tas Mariæ Claudiæ de Pontaliers, Burgundæ, è Cœleſtinarum familia; quæ inde harum coloniam Inſulas, & Tornacum deduxit. Rogata enim, an ex Burgundia ab amicis, & notis diſcedens nihil mœroris paſſa eſſet? reſpondit; ex quo ſacrum Domini Ieſu latus elegiſſet in domicilium, in illo ſe Burgundiam, amicos, & notos repeririſſe, tantumque ſimul ſolatij, ut neque ad ſpatium, quo percurreretur pſalmus *Miſerere*, fuerit ſubtriſtior.

Balth. Telles in Hiſt. ſua. lib. 1. c. 37. n. 2. Villaviçoſæ in Portugallia ſacrarum Virginum Monaſterium eſt, quod à venerandis Domini vulneribus nomen habet; quæ in his potiùs, quàm in tectis ab ijſdem nuncupatis, inſigni, erga ſacratiſſima hæc pignora pietate, conantur habitare. Hoc domicilium

micilium ſuadebat Confeſſario ſuo in quadam, quam ad eum ſcribit epiſtola S. Catharina Senenſis. *Rogo,* inquit, *vt te concludat in aperto filij Dei latere, quod bonorum omnium odorum patens eſt officina, in qua peccator Chriſti bonus odor ſit in omni loco. Ibi pia anima requieſcit in lecto ignis, & ſanguinis; Ibi manifeſtantur ſecreta cordis filij Dei; ibi ſatiatur omne deſiderium. Ibi impletur omnis memoria, illuminatur intellectus, inflammatur voluntas. Ibi labora non alterius recordari, non alium intelligere, non aliũ diligere, quàm dulcem & bonum Ieſum, ſanguinẽ & ignẽ, inæſtimabilem amorem.* Ita S. Cathar. Confeſſariũ ſuũ invitat ad ſuaviſſimũ lateris Salvatoris domicilium, cui vt fiduciam addat, narrat feliciſſimam mortẽ, juvenis Peruſini, Senis ob ſcelera capite plexi, cujus animam pœnitentem Salvator in officinam aperti lateris ſui miſericordiâ plenam, ſuſcepit, quæ à divina manu in ea conſervabatur. Ita ſcribit Catharina, ita & vidit, ipſa enim Iuvenem perditum in carcere ad Deũ reduxit, qui totius vitæ ſuæ decurſu nun-

Sur. in vita. vulnerum domicilium incolebat Sanctus Comes Elzearius, qui à Delphina conjuge rogatus, ubinam, quidve ageret? agere ſe ajebat, in vulneribus Salvatoris, atque in illis lætè vivere, neque in terris aliud ſe domicilium quærere. Idem ſenſus fuit, eademque pie- *In Elog. vita manuſ.* tas Mariæ Claudiæ de Pontaliers, Burgundæ, è Cœleſtinarum familia; quæ inde harum coloniam Inſulas, & Tornacum deduxit. Rogata enim, an ex Burgundia ab amicis, & notis diſcedens nihil mœroris paſſa eſſet? reſpondit; ex quo ſacrum Domini Ieſu latus elegiſſet in domicilium, in illo ſe Burgundiam, amicos, & notos repepeřiſſe, tantumque ſimul ſolatij, ut neque ad ſpatium, quo percurreretur pſalmus *Miſerere*, fuerit ſubtriſtior.

Balth. Telles in Hiſt. ſua. lib. 1. c. 37. n. 2. Villaviçoſæ in Portugallia ſacrarum Virginum Monaſterium eſt, quod à venerandis Domini vulneribus nomen habet; quæ in his potiùs, quàm in tectis ab ijſdem nuncupatis, inſigni, erga ſacratiſſima hæc pignora pietate, conantur habitare. Hoc domicilium

Digitized by Google

micilium ſuadebat Confeſſario ſuo in quadam, quam ad eum ſcribit epiſtola S. Catharina Senenſis. *Rogo,* inquit, *vt te concludat in aperto filÿ Dei latere, quod bonorum omnium odorum patens eſt officina, in qua peccator Chriſti bonus odor ſit in omni loco. Ibi pia anima requieſcit in lecto ignis, & ſanguinis; Ibi manifeſtantur ſecreta cordis filÿ Dei; ibi ſatiatur omne deſiderium. Ibi impletur omnis memoria, illuminatur intellectus, inflammatur voluntas. Ibi labor: non alterius recordari, non alium intelligere, non aliũ diligere, quàm dulcem & bonum Ieſum, ſanguinẽ & ignẽ, inæſtimabilem amorem.* Ita S. Cathar. Confeſſariũ ſuũ invitat ad ſuaviſſimũ lateris Salvatoris domicilium, cui vt fiduciam addat, narrat feliciſſimam mortẽ, juvenis Peruſini, Senis ob ſcelera capite plexi, cujus animam pœnitentem Salvator in officinam aperti lateris ſui miſericordiâ plenam, ſuſcepit, quæ à divina manu in ea conſervabatur. Ita ſcribit Catharina, ita & vidit, ipſa enim Iuvenem perditum in carcere ad Deũ reduxit, qui totius vitæ ſuæ decurſu nun-

nunquam confeſſione peccata eluerat nunquam ſacro Domini corpore fuerat refectus, tãtopere ſui, atq; Dei oblitus. De feliciſſimo eodẽ domicilio ita Bernardus; *Intuere*, inquit, *in manibus* Bern. de perfect. c. 7. *ejus fixuras clavorum, nec ſolùm* cum Thoma Apoſtollo *mitte manum tuam in latus ejus, ſed per latus ingredere ad cor eius, velut ad domicilium tuum, ubi clavis amoris affixus, & lanceâ charitatis tranſverberatus, nihil aliud deſideres quàm in cruce mori cum cum Chriſto, ut cum Paulo exclames, Chriſto confixus ſum cruci, vivo ego jam non ego, viuit verò in me Chriſtus,*

D. Bonaventura S. R. E. Cardinalis non palatium aliud; religioſiſſimus verò Ordinis ſui Generalis non cellam aliam præter ſacratiſſimã Domini Stim. p. 1. cap. 1. vulnera optabat. O, inquit, *quàm beata lancea, quæ aperturam hujuſmodi facere meruit! O ſi fuiſſem loco illius lanceæ, exire de Chriſti latere noluiſſem, ſed dixiſſem: Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hîc habitabo, quoniam elegi eam.* Pſal. 131. verſ. 14. Non abſimili affectu inter pias querelas B. Laurentius Iuſtinianus exclamat; *O Domine* Vbi ſup. *fer-*

Digitized by Google

ferrum, creaturam inſenſibilem, voluiſti tuum corpus ſanctiſsimum vulnerando intrare, & me creaturam tuam rationalem per vulnera jam facta non ſinis penetrare? Quid eſt hoc? Nunquid cor meum durius & vilius eſt omni ferro? Audi Domine clamorem meum. Quem repetens S. Bonaventura exclamat iterum: *O amantiſſima vulnera Domini noſtri Ieſu Chriſti! Cùm in illa, quodam die, oculis ſubintrarem apertis, ipſi oculi ſanguine ſunt repleti, ſicque nihil aliud videns, cœpi ingredi manu palpans, donec pervenirem ad interna viſcera charitatis Ieſu, quibus undique circumplexus redire neſcivi; ideoque ibi inhabito, & quibus veſcitur cibis, veſcor, & potu illius inebrior. Ibi tantâ abundo dulcedine, ut tibi non valeam enarrare. Et qui priùs fuerat novem menſibus pro peccatoribus, in utero virginali, mirè dignatur me ſervum ſuum intra vulnera ſua, totâ vitâ meâ conſervare. O cæcitas filiorum Adam! qui per hæc vulnera in Chriſtum neſciunt intrare, in quibus non anima ſolùm, ſed & corpus pia ſolatia reperit. Experientiam cape, ô homo, & cognoſces me verum tibi dicere, & quod opti-*

De incend. diu. amor. cap. 22.

Luc. VVad. t. 2. an. Chr. Min. an. 1274. n. 27.

optimum eſt, ſuadere. Hactenus Bonaventura, cujus tam pio erga ſacra ſua vulnera affectui, dulciſſimam Dominus vicem repoſuit. Ad mortem enim æger vir ſanctiſſimus, cùm ob ſtomachi debilitatem, ſacro Chriſti corpore refici non poſſet, petijt in pyxide illud pectori ſuo imponi, quod vbi factum, ecce moribundo latus roſæ inſtar aperitur, ac ſacra hoſtia è pyxide egreſſa, in illud divino motu ingreditur, ut benigniſſimus Dominus amabili morientis Bonaventuræ cordi jungeretur, qui vivens cordi ejuſdem amabiliſſimo ſemper junctus fuerat. Elige anima mea, & tu hoc domiciliũ, quia nuſquam majori cum ſecuritate, atque ſolatio habitabis. Simul audi Bonaventuram, ſi illud facere neglexeris, non ſibi, ſed tibi ita ingemiſcentem. *Heu mihi! quare natus ſum, niſi Dominum meum Ieſum in cruce complectar, & in ſacris ejus vulneribus requievero?*

CON-

CONSIDERATIO IV.

Vulnus lateris Chriſti,

Sigillum animarum.

QUod non de latere tantùm, ſed & de reliquis vulneribus intelligendum. *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum,* ait Crucifixus, & vulneribus perfoſſus Salvator, ex unanimi SS. Patrum conſenſu. Sacra Domini vulnera tot Sanctorum corporibus fuiſſe ab ipſo impreſſa; evidens argumentum nobis eſt magnopere illi placiturum, ſi & nos corda, animoſque noſtros illis obſignemus. Cant. 8. verſ. 6.

Sigillaturam hanc, uti loquitur D. Bonaventura, S. Franciſcus in carne ſua, quaſi ad ignis liquefactivam virtutem præparata, à Seraphico crucifixo accepit. In manibus namque ac pedibus ejus, apparuerunt ſigna clavo- *Brev. Rom. in feſto Stigm.*

rum

rũ ipſorũ, capitibus in interiori parte manuum, & ſuperiori pedum apparentibus, & eorum acuminibus exiſtentibus ex adverſo. Dextrum quoque latus, quaſi lanceâ transfixum, rubrâ cicatrice obductum erat, quod ſæpe ſanguinem ſacrum effundens, tunicam viri ſancti reſpergebat.

Licebit mihi vulnerato, ac ſigillato Franciſco tantiſper immorari. Dico itaque; Michaëlem Archangelum, cum Luciferi ſuperbia, pro divinæ gloriæ zelo decertantem, exclamaſſe, *Quis ut Deus?* Neque Dei Majeſtati ſimilis quiſpiam inventus eſt, aut poteſt invenire. Decertat & Dei amor cum homine, & exclamat; *Quis ut Ieſus?* Reſpondet Humilitas, Franciſcus; vulneratus ut Ieſus; ſignatus ut Ieſus, pauper ut Ieſus, mitis ac humilis ut Ieſus, quem Ieſus in manibus ſuis deſcriptum habet, qui & Ieſum in manibus ſuis deſcriptum gerit, Salvatoris ſui vivum exemplar, de quo canebat piè, & ingenioſè Horatius Turſellinus è Societate noſtra.

Exue

Digitized by Google

Exue Franciſcum tunicâ, laceroque cucullo,
Quî Franciſcus erat, jam tibi Chriſtus erit.
Franciſci exuvijs (ſi qua licet) indue Chriſtum,
Iam Franciſcus erit, qui modò Chriſtus erat.
Quid cœleſtis amor non audes? fingis amantes
Arte nova, effigies ut ſit amantis amans.

Sed ad ſanctas Virgines, eodem hoc ſigillo à Domino ſignatas, tranſeamus. S. Catharina Senenſis, cùm Piſis moraretur, die quodam Dominico, refecta cibo cœleſti, & in exſtaſim rapta, vidit Dominum Crucifixum, magno lumine advenientem, atque ex ejus vulneribus quinque radios ad manus, pedes, ac latus ſuum deſcendentes; ſed Dominum precata, ne cicatrices apparerent, radij colorem ſanguineum in ſplendidam, ac puram lucem mutarunt, ita ut à vi vulnerum ingentem quidem dolorem *Brev. Rom. 29. Ap.*

Digitized by Google

ſenſerit, ſed ſigna illorum cruenta non apparuerint.

Barth. Fix. in vita eius 19. Nov. Circa annum Domini milleſimum, ducenteſimum, ſexageſimum, in pago Spalbeeck, patriæ Leodienſis Teutonicæ, Eliſabetha virgo admirandæ ſanctitatis ſignis claruit. Hæc à tenera ætate, vix dum quinquennis, eâ fuit corporis infirmitate, ut nec gradum uſquam promovere, nec in pedes erecta poſſet conſiſtere. Sed imbecillum corpus vegetabat animus, qui miro conatu ad arduum, altiſſimumque virtutis faſtigium nitebatur. Primus ac præcipuus illi gradus fuit, per aſſiduam meditationem cruciatuum, quos Salvator noſtri causâ perpeſſus eſt, Deo ſe gratam, acceptamque reddere. In hos quando animum intendebat, vi tantâ ſe mens efferebat, ut corpus, illâ, quam diximus, ægritudine proſtratum, erigeret, & per cubiculum commodè, nullo adminiculo, inambularet, flagris ſe cæderet, pugnis contunderet, capillos evelleret, aliaque de ſe ſupplicia ſumeret, prout ea de patiente

Digitized by Google

tiente ſuo Salvatore meditabatur, ut externo etiam ſchemate ſe illi quàm ſimillimam exhiberet.

Sed ut propiùs ad rem noſtram veniamus, de illa ita ſcribit Philippus Abbas Claravallenſis: Cùm fortè, inquit, per Belgium, inſtituti noſtri familias inſpicerem, audivi multa de virgine quadam Eliſabetha nomine, quæ niſi prudenter explorata, fidem mereri non viderentur. Exploràvi, & dictis majora deprehendi. Primùm hoc conſtat, impreſſa corpori Virginis eſſe Dominicæ Paſſionis ſtigmata, è quibus plerumque, potiſſimùm diebus Veneris, ceu è recentibus vulneribus cruor promanet, & quandoque ebulliat. Rotunda ſunt manuum pedumque vulnera, lateris oblongum. Ipſe ego, ſocijque Abbates, ac Monachi, nocturnis, alijſque horis, cruorem animadvertimus oculis effluentem, ac perfundentem amictum lineum, quem veſtibus ſuperinduit. Notavimus præterea, quodam Veneris die, per apertam in latere veſtem, ſanguinem ſcaturire

turire non omninò purum , ſed velut aquâ mixtum , ut & in hoc Salvatori ſuo ſimilis eſſet. Hęc Philippus Abbas.

Franciſco, Catharinæ, Eliſabethæ, addere poſſem Gertrudem , Liduwinam, Luciam Ferrarienſem , & longè plures , quarum corporibus vulnera ſua impreſſa Salvator voluit , ut conſtet velle eum illis corda , animaſque noſtras ſignari. Id quod apertè declarat, cùm ait : *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum , ut ſignaculum ſuper brachium tuum* ; Ubi Hebræi pro ſignaculo ponunt ſigillum , vel annulum , qui pro ſigillo ſervit , quâ ſignificatione non raro hunc accipit Scriptura, & ego in hoc argumento accipio.

Conficiuntur verò ſigilla, ſeu ſignatorij annuli malleorum percuſſione, ſtylorum inciſione , punctione, ſulcorum ductione in materia aurea, argentea, ænea, ferrea, ac gemmea. Ita & Deus in materia longè digniore, divina ſcilicet, in filio, inquam, ſuo, Deo, ac Homine , cælatura inaudita, cordium ac brachiorū noſtrorum ſigillū efformavit,

Digitized by Google

mavit, lictorũ ac carnificũ manu caput eius ſpinis pungendo, dorſum flagellis incidendo, ac ſulcãdo, manus & pedes clavis percutiẽdo, lanceâ latus aperiẽdo. Quę cælatura myſterio non caret, cùm voluerit Dominus figuræ ſigillo, ſeu annulo inſculptæ comparari, non eum vſum habenti, quem imagines reliquæ, ut oculos recreent, aut in memoriam revocent eum, quem referunt, ſed ut ſe, formamq́ue ſuam, rei, quam obſignat, imprimat. Vult itaque crucifixus ac vulneratus Dominus, nobis non eſſe imago ad paſcendos tantùm oculos, ſed ut ipſum veluti ſigillo, ſeu annulo impreſſum cordi, ac brachio, animæ ſcilicet, ac corporis ſenſibus, operatione interna, atque externa, circumferamus.

Lego Polycratem Samiorum Regulum vſum è ſmaragde ſignatorio annulo, qui omnes eius opes ſuperaret. At longè pretioſior, dignior longè Regum Luſitaniæ ſignatorius annulus, quinque ſcutulis conſtans, quorum ſingula, quinque Domini vul- *Plin. lib. 33. cap. 1.*

 nera

Digitized by Google

nera repræſentant, eademque ſcuto medio inſerta, cingunt.

Atque hæc de materia & forma ſigillorum, ſeu ſignatoriorum annulorum; vſus verò hic eſt. Illis Regum, Principum, ac Rerum publicarum pecunia ſignatur, Generis nobilitas, indicatur; ſigna ſunt poteſtatis atque auctoritatis; quod ſervatum, quod noſtrum eſſe volumus, annulo, ſeu ſigillo obſignamus; ſignum ſapientiæ annulus eſt; eſt & medicus, ſi gemma medica ornetur; amoris etiam teſſera eſt, dum amicorum illi vultus inſculpuntur, & ſiniſtræ manus digito, quem cordis nominant, inſeritur.

Alex, lib. 1. cap. 19.

Obſtupuit, & laudavit antiquitas Pyrrhi Epirotarum Regis annulum ſignatorium, cuius gemma, non ab arte, ſed à natura, Apollinem cum Muſis omnibus, ac ſingulorum inſtrumentis referebat, eoque pecunia regia cudebatur, & notabatur. Admirare anima, ac venerare ſignatorium annulum totum tibi Ieſum, Deum, ac Hominem, à Bethlemetico ſtabulo ad vſque Calvariæ

Digitized by Google

varię montem repræſentantem, & age ut in te eius ſit imago, & ſuperſcriptio, vtque cogitationes tuæ, verba, & opera illo ſignata, pecunia veluti legitima, à Deo, Angelis, ac hominibus probentur, & admittantur. *Vult*, inquit Theodoretus, *Salvator noſter, ut eum pro ſignaculo, in contemplationibus, & actionibus noſtris habeamus notam ipſius, crucis ſcilicet, ac vulnerum, in omnibus tum dictis, tum factis imprimamus. Sic enim erunt, ut numiſmata regia, non adulterina ſed imaginem regiā præferentia.* Ita Theodoretus. In cap. 8. Cant.

Verùm & Chriſto Ieſu, ac vulnerum eius ſigillo, ſignati eſſe debemus, ut conſtet nos genus ab illo ducere. Ita Auguſtus Magni Alexandri imaginem gemmæ inciſam, pro ſigillo in annulo geſtabat, atque ſi ab illo genus duceret. Ita Scipio Africanus patrem in annulo geſtabat. Vnde S. Hieronymus ad Euſtochium. Ep. 22. *Quotieſcunque*, ait, *te vana ſæculi delectaverit ambitio, quoties in mundo videris aliquid glorioſum, ad paradiſum mente tranſgredere, & audi à ſponſo tuo: pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum*

ut ſignaculum ſuper brachium tuum,& quod es permane,genus ſcilicet Chriſti,non mundi,& eſſe incipe,quod futura es;heres ſcilicet regni cæleſtis.

Cap. 2. verſ. 24. Ita annulo etiam, ſeu ſigillo notamus, quæ noſtra ſunt, & nobis ſervata volumus. Vti apud Aggęum Prophetam Zorobabelem ſuum vult eſſe Deus, quaſi annulo ſuo ſignatum,cùm ait; *Aſſumam te Zorobabel, & ponam te quaſi ſignaculum, quia te elegi.* Ita omnes electi apud S.Ioannem ſignantur Crucis ſigno,ut conſtet cor ad Salvatorem crucifixum pertinere, illique eſſe ſeruandos, uti Antichriſti aſſeclæ Lib. 2. Ioannis Sp. cap. 4. characterem ipſius, & notam impreſſam habent. Ita S. Gertrudis, præter vulnera pedum, manuum, ac lateris, omnibus conſpicua, fatebatur ſe in corde ijſdem ſignatam, totamque eius In Cant. cap. 8. eſſe cuius ſigillo notata erat. *Pone me, ait Dominus,*teſte S. Anſelmo, *regentem cor tuum,& cogitationes tuas,ut pateat amicis te continere mea ſecreta,& inimicis item pateat, ab eis ſecreta, quæ habes, clauſa eſſe, habeaſque me rectorem in omnibus operibus tuis.* Quod, quid aliud eſt, quàm ita

Digitized by Google

Chriſto crucifixo ac vulnerato ſignatum eſſe,ut totus illius ſis,*ejuſque character amoris*, uti loquitur Hugo Cardinalis,*te ab omni alieno diſcernat.*

Obſeruandum hîc mihi eſt,voluiſſe Dominum ſacrorum ſuorum vulnerum ſigillo inſtitutas à S. Birgitta Monachas, ſingulariter ſibi eſſe devotas, Regula enim tertia tegumentum capitis,ac faciei illarum deſcribens, vult eſſe *de tela denigrata*; deinde ſuper velum iubet coronam poni *de tela alba,cui aſſuantur quinque particulæ de panno rubro, quaſi quinque guttæ* (loquor ipſis Regulę verbis) *prima particula,in fronte, altera in occipite, tertia & quarta circa aures, quinta in medio capitis ,in modum Crucis.* Qua iuſſione quid aliud innuere voluit Dominus,niſi ſuas illas eſſe, quas quinque illis particulis,ſeu guttis,adorandis,inquam,ſuis quinque vulneribus, & ſanguine ſuo pretioſo obſignavit. Vt cum Agnete ſanctiſſimâ & fortiſſimâ V. ac M. profiteantur, poſuiſſe Dominum ſignum in facies ſuas,& caput, ut nullum præter eum amatorem admit-

implicata, quo in Iordanem demerſo, & ipſe ſe in omnem perditæ vitæ licentiam demerſit. Non ita divinus ille noſter annulus, cui crucifixus, atque vulneratus Dominus inſculptus, qui Patris ſui cæleſtis ſapientia eſt, quam aſſequitur omnis anima quę illo ſignatur, eò felicior, ſanctior, ac ſcientior, quo cum eodem altius in profundum Dominici ſanguinis demergitur.

Præter; hæc utimur annulis, quibus gemmis inſertis vis eſt pellendi malas corporis affectiones. Quanta virtus annulo noſtro ſit in animos noſtros, docēt, quas explico, Conſiderationes.

Tandem (quod amicorum eſt, ut ſe mutuò per annulos ſignatorios ferant in oculis, & animis) ſignaculum omninò debent nobis eſſe ſacra Domini vulnera ſuper cor noſtrum, & ſuper brachium noſtrum uti ipſe id poſtulat, in omni ſcilicet cogitatione, & operatione noſtra, iuxta S. Gregorium, ut nunquam eius nobis excidat memoria, ne nobis cōtingat, quod Iechoniæ Regi peſſimo, dicit Deus, *Vivo ego,*

ſi

Digitized by Google

Cap 22. v. 24. *ſi fuerit Iechonias annulus in manu meâ, inde evellam eum.*

Noli evellere, anima mea, de manu tuâ annulum Salvatoris tui, cuius ſacroſanctis vulneribus ſignata es, ne & ipſe euellat te de manu, & protectione ſuâ, & à facie ſuâ in æternum proijciat, non agnoſcens te, quia vanitatis & mundi annulum, ſeu ſignaculum ſuper cor, & ſuper brachium tuum admiſiſti, eoque figuram Redemptoris tui tibi impreſſam, oppreſſiſti.

In Meneis 26. Dec. Magno Dei beneficio Salvatoris ſigillum conſecutus erat, ac eodem ſignatus S. Martyr Conſtantinus. Hic natus Hebræus, vidit Chriſtianum in flumen lapſum, crucis ſigno vitam ſervaſſe; vnde & ipſe Chriſtianam fidem complexus, ingenti Chriſti, cruciſque amore exarſit. Impuræ puellæ crucis ſigno vitam ademit, mox reſtituit: in cruce illi vis omnis, ac pietas erat. In cœnobium quoddam divino ductu cùm veniſſet, conſpiciens Salvatoris in cruce pendentis effigiem, eius pedibus humile oſculum dedit, non ad

manus,

mauus, nedum ad ſacrum Domini latus auſus aſpirare. Quæ animi demiſſio tantopere Salvatori placuit, ut revulſis à cruce manibus Conſtantinum amplexaretur, & veluti devoti ſibi, non ſervi, ſed amici frontem crucis ſigillo ſignaret. Ad quod accommodè S. Ambroſius; *Signaculum*, ait, *Chriſtus eſt in fronte, ſignaculum in corde: in fronte ut confiteamur; in corde, ut diligamus; ſignaculum in brachio, ut ſemper operemur. Luceat ergo imago eius in confeßione noſtra, luceat in lectione, luceat in operibus & factis, & ſi fieri poteſt, tota eius ſpecies exprimatur in nobis; ipſe eſt enim ſignaculum noſtrum, quem uti Ioannes ait, Pater ſignavit Deus,* flagellis ſcilicet, ſpinis, colaphis, clavis, cruce, lanceâ, vulneribus; ut nobili hoc, ac divino ſigillo ſignati, Dominum Ieſum Chriſtum vbique, in omnibus exhibeamus. *In Cap 8. Cant.*

At quando aptiſſimè hoc ſigillo ſignabimur? illo ſanè tempore, quod nobis S. Gertrudis demonſtrat. *Cùm,* inquit illa, *feſto quodam recepiſſem ſanctam Synaxim, mente intentâ in Deum,* *Lib. 1. Inſ. Spir. c. 6.*

&

& in meipſam, percepi, & ſenſi animam meam, inſtar ceræ, igne divino liquefactam, ſigillatione pectoris, ac lateris Chriſti fuiſſe ſignatam, atque ex plenitudine divinitatis immenſos accepiſſe theſauros. Quid ni & nos eodem modo notamur, ac ſignamur, quibus eiuſdem ſigilli, corporis ſcilicet Dominici, tanta eſt copia? Concludo, & cum celeberrimo illo Deiparæ planctu, orans ingemino:

Eia Mater iſtud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo validè.

Vt ſint mihi ſignaculum compaſſionis, gratitudinis, amoris, & imitationis.

CONSIDERATIO V.

Vulnus Lateris Chriſti

Teſtis, ac Teſtamentum amoris.

QVid? adhuc egemus teſtibus? An non teſtatum ſatis in Bethleem, in ſtabulo, in deſerto, in horto Gethſemani

Digitized by Google

mani, in palatijs Caiphæ, Pilati, Herodis, in monte Calvariæ, in cruce ipſa, ab optimo Salvatore monumenta amatos nos fuiſſe, ut reſervatis in corpore vulneribus, opus fuerit monitoribus, ut vicem illi in amore reddamus? Attamen cùm & hos ſui in nos amoris Salvator addere voluerit ut nunquid rectè Paulus? *Si quis non amat Dominum Ieſum Chriſtum, ſit anathema, Maran Atha*, id eſt*, Dominus judex puniet & damnabit illum: non enim differt à Iudæo, quia Ieſum, ſi non amat, denuò crucifigit. Cave anima mea deicidium repetere, attende & perpende rem mirabilem. *1. Cor. c. 16. v. 12.*

D. Birgitta, illa Sueciæ, nobilitate ſanguinis, vitæ ſanctitate illuſtris alumna, decem annos nata, cùm quadam die de paſſione Domini ſermonem audiſſet, eumque cordi ſuo firmiter impreſſiſſet, nocte ſequenti vidit Ieſum in cruce, ſanguine recenti perfuſum de paſſione ſua ipſam alloquentem, quâ exiſtimante, ipſum tunc temporis fuiſſe crucifixum, & inter- *Brev. Rom. Hiſt. 1. 8. Oct.*

Digitized by Google

interrogante quiſnam cruci tam dirè iterum affixiſſet, reſpondit Dominus, ab illis hoc factum, qui contemnerent charitatem ipſius. Quam ne quoties contemnimus, & obliviſcimur, toties Salvatorem cruci iterum figamus, vulnera ſua, æternos amoris ſui in nos monitores, & teſtes, in corpore ſuo ſervare, & cœlo inferre voluit.

Ita eſt, mi Salvator amantiſſime; vivere, ſed non in deſiderio pati deſieras, tuuſque erga me amor, etiam ſupplicia, quæ cum morte finem habent, poſt eam nova adinvenit. Clavi manus, ac pedes transfixerant, ſpinæ caput, colaphi ac ſputa faciem deturparant, fel palatum cruciaverat, flagella corpus totum conſciderant, & modò cùm vita tibi ampliùs nō ſuperſit, charitas tua quaſi magis quàm antehac ardens, divinum cor tuum transfodit ut pateat, quàm ex corde nos amaveris. Appoſitè B. Laurentius Iuſtinianus ait; *Clamant ſputa, irriſiones, verbera, clavi, lancea, ut ipſe toto corde, totiſque viribus diligatur, qui pro dilectione noſtra talia ac* *Serm. de paſſ. Dom.*

tanta

Digitized by Google

tanta pati dignatus eſt. O Amor æterne Ieſu mi, perge æternùm me amare, & da, te ut æternùm amem!

Vidit Beata Mechtildis ex Domini latere prorumpentes flammas. Significabant hæ ignem illum, quem Sancta Catharina Senenſis Confeſſario ſuo deprædicat, & à me alio loco oſtenſus eſt. Hunc ignem duplicem eſſe ait P. Ludovicus de Ponte, in ſuis luminum divinorũ adverſarijs, increatum vnum, alterum creatũ; illum Deum, atque eundem cum Deo eſſe, cuius flammæ creaturæ omnes ſunt, inter quas non vri tantùm, ſed comburi deberemus, ab ſui amore in Deum provocati, *qui ignis conſumens eſt.* Ignis alter creatus, Salvatoris noſtri Humanitas eſt, in divino eius corde, tanquã in fornace ardentiſſima ab infinita eius in nos caritate conſtructus, ad quem per quinque portas, quinque ſcilicet eius vulnera acceſſus eſt. Et igne illo, *quem Dominus venit mittere in terram,* quis utitur? quis incaleſcit? quis comburitur? Salamandra, probreſa nimis,

Vitæ eius lib. 2. c. 4. n. 3.

Deut. 4. v. 24.

Lucæ 12. v. 49.

mis,

Digitized by Google

mis, es anima mea, quando affectibus, & paſſionibus tuis, quaſi gelu conſtricta inſolubili, ita frigida es, ut divino hoc Salvatoris, cordiſq́ue eius igne non incaleſces, non accenderis, non combureris.

Non Salamandræ ſimilis fuit P. Ludovicus, ſed Phœnici, ſi hunc Natura dedit, qui igne ſuo abſumptus aromatico, in cinerem, vermemque converſus, ex his glorioſior reſurgit. Non aliter Vir ille venerabilis in humilitate, atque ſui abnegatione à ſe
Pſal. 21. v. 6. in cineres Nihili ſui exiens, *illi, qui ſe vermem dixit eſſe, non hominem* ſimilis, ardentiſſimam cordis Chriſti Ieſu fornacem per portas quinque ſacratiſſimorum eius vulnerum ingreſſus, totuſq́ue à vulnerato Salvatore acfol. 69. cenſus, inclamat cum Bonaventura, *Da mihi Domine vulnera tua; Domine vulnera tua. O! quæ vulnera!* O vulnera amoris! O vulnera doloris! Date mihi, ita in vobis incaleſcere, ita in vobis ardere, ita comburi, ſolui, & transformari, ut totus ſim vulnus amoris erga te, totus

tus vulnus doloris propter te.

Habuimus hactenus ex latere Domini ſanguinem, aquam, & ignem; ſagittas mox ex eodem, veluti è divina pharetra, daturus eſt. Per feneſtram orientalem Ioſias Rex, jubente, ac manus ſuas ſuper manus ejus ponente Eliſæo Propheta, contra Syriam, ſagittas ſuas emittebat, quas *ſagittas ſalutis Domini* vocat Scriptura. Ita Salvator noſter ex potenti ſacræ crucis ſuæ arcu, patre ejus cœleſti id unicè volente, & divinas manus ſuas manibus ejus vulneratis imponente, ac jaculantem dirigente, per ſacratiſſimi lateris ſui orientalem feneſtram, ſalutis ac caritatis ſuæ ſagittas emittit. Vtinam pateant his animæ noſtræ, & corda, uti patebant ejus, qui dicebat: *Sagittaveras Domine cor noſtrum caritate tua, & geſtabam verba tua trāsfixa viſceribus.* cui appoſitè ille canit: *4. Regum c. 13. v. 16. & 17.* *S. Aug. lib. 9. Conf. c. 2.*

Me pete amor telis in Chriſti vulnere tinctis,
Quem læſi toties ſic, ego læſus amem. *Sidon. in affect. paſſ. Dom.*

Quod telum, & ſancta Gertrudis miro modo aliquando ſenſit. Cùm e- *Lib. 2. In. ſin. ſp. c. 3.*

Digitized by Google

nirn à ſacra Communione ante Chriſti è cruce pendentis effigiem, pro accepto beneficio gratias ageret, è latere Salvatoris lucis radio, veluti telo percuſſa, in novum erga illum amorem
Marg. Sp. c. 19. exarſit. Vnde rectè Bloſius exclamat: *O beatos illos, qui hujus ſunt vulneris participes! quorum corda ſic configit amoris Chriſti lancea, ut deinceps perenni ferveant charitatis ardore.*

S. Iure l. elect. c. 14. ſec. vn. Hanc beatitudinem cùm probè noſſet S. Gertrudis, ſociam rogavit, piam admodum Virginem, ut dum de more, ad Chriſti in cruce pendentis effigiem precaretur, paucis in hæc verba pro ſe oraret. *Domine Ieſu, per tuum cor lanceâ transfixum, transfige cor Gertrudis divini amoris tui jaculo, ut quæ mundi ſunt exuat, teque ſolum diligat, non verbo, neque linguâ, ſed opere, & veritate.* Iaculo illo transfixa fuit Gertrudis, mundum, exuit, ac ſolum Ieſum dilexit. Eandem
l. 1. Grat. Sp. c. 20. & l. 2. c. 20. felicitatem exoptavit S. Mechtildis, Gertrudi coæva, quæ pro mundi redemptione, Salvatori noſtro gratiam quam poterat maximam referens, o-

ranſque

ranſque ut cor ſuum tot amoris ipſius vulneribus transfigeret, quot ipſe in ſacratiſſimo corpore ſuo pertuliſſet, à ſenſibus mox alienata, viſa ſibi eſt ad ſplendidiſſimũ palatium deduci, quod deinde ſacrũ Domini latus eſſe agnovit, è cujus cruce ſagitta aurea miſſa, cor ejus penetrare, ac transfigere videbatur. Atque ita divina caritate penitus vulnerata, voti ſui compos effecta eſt.

Ad ſimile caritatis vulnus S. Bonaventura anhelat, cùm orat: *Transfige dulciſsime Domine Ieſu medullas animæ meæ, ſuaviſsimo, & ſaluberrimo vulnere amoris tui. vulnera viſcera animæ meæ, verâ, & firmâ, & Apoſtolicâ caritate, ut verè ardeat, langueat, & liqueſiat anima mea ſolo ſemper amore, & deſiderio tui, concupiſcat & deficiat in atria tua* (vulnerum ſcilicet tuorum ſacratiſſimorum) *cupiat diſſolvi, & in illis tecum eſſe.* Ita Bonaventura. *P. 1. Stim. prol. 2.*

Meritò D. Bernardus quærit, quare Dominus animam peccatricem quærens, dicat bis ſibi ab ea cor vulnera- *Tract. de paſſ. Dom. c. 3.* *Cant. 4. v. 9.*

Digitized by Google

tum eſſe, a itque in promptu cauſam eſſe, quia priùs *amoris* quàm *furoris* lanceâ fuit vulneratus. *Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra,* ait Iſaias, ita ut ſcelera noſtra malleum clavis crucifigendo Salvatori, manum lanceæ lateri ejus perfodiendo, amore provocante, quodammodo commodaverint, ſine quo, nec clavi, nec lancea quidquam potuiſſent; ut meritò ſancta Mechtildis exclamaverit: *Quid tibi, ô dulcor unice, debet gratiarum actionis offerri, pro illo amoris vulnere, quod in cruce accepiſti pro homine, cùm priùs, quàm lancea, amor tuus invincibili ſagittâ cor tuum melliſluum vulneraverit?* Quod & ille:

Cap. 53. v. 5.

l. 1. Grat. Sp. c. 23.

Sidron. Eleg. de vuln. Dom.

Aſpice quàm lato patefactum pectus hiatu,
Quantaq́; ſint manuum vulnera: quanta pedum!
Non hæc tam clavi, nec acuto lancea ferro,
Nec populi fecit, carnificumque furor,
Quàm, qui cauſa fuit tantorum prima dolorum,
Totq́ue Deum plagas ferre coëgit, Amor.

Sunt itaque vulnera Domini vulnera

ra noſtra, quæ niſi ferrei ſimus, in ipſum provocent amorem noſtrum, ut eum quem læſit amet, ac veneretur. Quod rectè bonus ille in cruce latro intellexit; *Scivit enim ille;* ait Ambroſius, *quòd illa in corpore Chriſti vulnera, non eſſent Chriſti vulnera, ſed ſua, & ideo Chriſtum amare cœpiſſe, poſtquam in ejus corpore ſua vulnera recognovit.* Recognoſcamus & nos, atque amemus. Serm. 44.

Fuêre qui humano pectori feneſtram ineſſe deſiderarunt, per quam cor introſpiceretur. Stultum ſanè votum, quid enim in cordibus pleriſque videretur, niſi ſordium omnium fœtidiſſimam, ac turpiſſimam cloacam, qualem Salvator apud Matthæum deſcribit. Cap. 15. v. 18. Sed ille meritò divino cordi ſuo ſacri lateris vulnus, veluti feneſtram eſſe voluit: ad quod Iuglaris ita alludit:

Cordi ſuo notam ineſſe non ſuffert, Elog. 86.
Quam in humano
Corrigi olim Momus voluerat.
Aventibus introſpicere
Per feneſtram ſat patet.

Magnum, inquit Bernardus, *illud pie-* Serm. 61. in Cant.

tatis ſacramentum: Patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, quibus viſitavit nos oriens ex alto. Quid ni viſcera per vulnera pateant? In quo enim clariùs quàm in viſceribus tuis eluxiſſet, quod tu Domine Ieſu ſuavis es, & mitis, & multæ miſericordiæ?

Et quomodo id nobis innotuiſſet, niſi ſacras illas vulnerum tuorum feneſtras, ac portas aperuiſſes? unde iterum Bernardus ait; *Per vulnus viſibile, quaſi per feneſtram, vulnus amoris inviſibile videri*: nam ut piè admodum S. Thomas; *Spiritus*, inquit, *quem Chriſtus emiſit, aqua quæ fluxit de latere, & ſanguis, quem effudit de corde, ſunt ſigna dilectionis maximæ.*

Tract. de paſſ. c. 3.

Opuſc. 58. c. 27.

Didacus Morillo, è D. Franciſci familia concionator eximius, refert virum Principem, à ſubditis urbe ſua pulſum, amicorum auxilijs reſtitutum, beneficijs eos cumulaſſe, à quibus fuerat expulſus, neque deſideraſse aliud, quàm ut conſtaret omnibus, nullam apud ſe acceptæ injuriæ memoriam reſidere: quod cùm à ſuis obtinere non poſset, etiam poſtquam longa

In Cant. de vuln. Dom.

longâ oratione idem probare fruſtrà conatus fuiſset, tandem arrepto pugione pectus ſibi aperuiſse, ut corde per vulnus introſpecto, quàm æquum, ac benignum illud in omnes eſset omnibus ad oculum pateret, quamq; cuperet ſanguine, ac morte ſua liberam, atq; ſecurã vitam omnibus relinquere.

Sive hæc hiſtoria eſt, ſive, quod potiùs crediderim, parabola, oſtendit certè, tanquam in luculenta imagine Chriſti Domini, ab amore ſuo magis, quàm lanceâ vulnerati, ſinceriſſimum in nos affectum. Quem pari vulnere Salvatori ſuo conſtare voluit P. Iacobus de Scaura è Societate noſtra. Cùm enim ſummè mundi Redemptorem diligeret, admirando, non imitando fervore, pectus ſupra cor gravi vulnere ſibi aperuit, quaſi in eo ſuum erga Salvatorem amorem, ab illo legi cuperet. Aperiebat & pectus ſuum D. Auguſtinus cùm ſic oraret: *Scribe Domine vulnera tua in corde meo, ut in ijs legam amorem tuum.*

Euſeb. Nierenb. l. de vna div. c. 12.

Nov. Elec. Sac. l. 3. c. 15.

Hæc vulnera in corde nobilis illius

Digitized by Google

Pennequin Amour divin. part. 2. c. 10.

puellæ Neapolitanæ deſcripta erant, quæ cùm à parentibus in matrimonium collocanda eſſet, ſponſuſque cum patre, ac matre jam in domo adeſſet, inducijs illa tantiſper petitis, & impetratis, donec in re tanti momenti Deum conſuluiſſet, ſe in cubiculum ſuum recipit, ubi ad pedes Crucifixi provoluta, illos complectitur, oſculumque deinde figens ſacro ejus lateri, fidem Salvatori ſuo obſtringit, præter ipſum neminem ſe cupere, neminem ſe alium deinceps amaturam. Nec mora, capitis capillos ſibi reſecat, è quibus coronam plectit, eamque, ut fidei datæ pignus, pedibus Domini appendit. Quo facto, prodit tandem in conſpectum proci, & parentum, cum ſponſo ſuo Crucifixo, cui ſe in omnem æternitatem devotam, neque alium admiſſuram profitetur. Probant filiæ animum pij parentes, ſatis quippe intelligebant eam feliciùs nubere non poſse, quàm Salvatori ſuo, cujus amor, ſacrorum ejus vulnerum admirando charactere, virgineo

Digitized by Google

gineo eius cordi inſcriptus erat.

Adjungo Virgini huic fortem illam, & regiam mulierem Margaretam Salisberienſem Comitem, Eduardi IV. & Henrici VIII. Angliæ Regum, hujus affinem, illius Neptem, quæ verè Domini Ieſu vulnera in corde deſcripta geſtabat, & in his ejus in ſe legebat amorem, quando illa gemmæ inſculpta, appenſa collo, ſupra pectus conſpicua circumferebat, regio omni monili pretioſiora. De qua pietate apud Henricum in Catholicos ſævientem accuſata, ad carcerem rapitur, ac tandem capite plectitur, uni huic pio, ac glorioſo vulneri, quaſi uni colli ſui crini, appenſa quina Salvatoris vulnera, divinæ Majeſtati offerens; ſacrorum horum pignorum veluti Protomartyr, ſeu prima teſtis. Deo enim nihil gratius, nobiſque accidere poteſt utilius, quàm ut illorum in animis noſtris foveamus memoriam, eamque cultu aliquo, obſequioque teſtemur.

Flor. Rem. de orig. hereſ. l. 6. c.

Sunt itaque benigniſſimi Salvatoris vul-

Digitized by Google

vulnera ſacratiſſima, teſtes illius erga nos amoris, ſunt & ejuſdem amoris teſtamentum. Teſtamenta, ne ſint, uti Bartolus ait, deliramenta, ſecundum conſuetudines, leges, atque decreta, condenda ſunt, ut ſint pacis atq; amoris inſtrumenta. Non latuit hoc Chriſtum, divinum illum, atque æternum Legiſlatorẽ, qui juxta cœleſtis Patris ſui voluntatem teſtamentum condidit, conſcriptum à quatuor Evangeliſtis, totidem veluti Notarijs, teſtatum ab Apoſtolis; quo, præter ingentes gratiarum, ac meritorum ſuorum theſauros, ſacra quatuor ſua vulnera nobis reliquerat. Verùm cùm apud plurimos in more ſit, ut morti proximi Codicillum ſcribant, voluit optimus Salvator, & pater in filios ſuos pientiſſimus, non jam morti proximus, ſed mortuus, divinam illam benedicti lateris ſui arcam lanceâ aperiri, ut per Codicillum à S. Ioanne Evangeliſta, teſte ſanctiſſima ejus Matre; alijſque, conſcriptum, cor ſuum, ſupremum, ac reconditiſſimum ſcilicet omnium

theſau-

theſaurorum ſuorum pignus, nobis legaret. Vt videatur Dominus ſui lateris aperturâ, & cordis vulnere, voluiſſe indicare, nihil ſe æquè optare, quàm ut cor noſtrum, cum ſuo corde permutemus; ut ſicut ipſe in corde ſuo à nobis vulneratus, illud perdidit, ac nobis dedit, ita nos viciſſim cor noſtrum amoris ejus vulnere ſauciatum, in illum transferamus.

Pingebantur inter Ægyptios duo amantes; uterque arcum gerens, & in ſe tela jacientes, quibus ita mutua pectora aperiebant, ut invicem corda eripere, & inter ſe permutare poſſent, neque ſuo quiſquam, ſed amici corde viveret. Habet & arcum, Crucem ſcilicet ſuam ſanctiſſimam, habet & ſagittas amoris Dominus Ieſus, quibus corda noſtra feriat. Habemus & nos arcum, inordinatam voluntatem noſtram, quo licet ingratitudinis, & peccatorum noſtrorum tela in cor ipſius jaciamus, paratus tamen eſt illud cum noſtro commutare, ut ipſe in nobis, & nos in illo vivamus, quo nihil poteſt

Hieron. Florent. in Conc. Canonis S. Tereſiæ.

poteſt nobis, in hac vita mortali obvenire felicius.

Florentia ubi ſuprà. Quod rectè S. Mater Tereſia intellexit; conſtituta enim aliquando in attentiſſima meditatione ante Chriſti graviſſimè vulnerati effigiem; *Permuta* ait, *Domine cor iſtud.* Vix dixerat cum ſenſit hoc adeo, ac continuò immutatum, ut aliud ab eo, quod fuerat, eſſe videretur: utque conſtaret cum Chriſti corde permutatum eſſe, Seraphim de cœlo miſſus, ardenti ſagitta cor ejus transfixit, atque ita Tereſiæ corde ſuo, ignito hoc telo divinæ caritatis expurgato, viſum fuit illud Salvatorem cum ſuo commutaſſe, vti olim in ſancta Catharina Senenſi factum legimus. Ita agit Dominus cum animabus, quæ illum diligunt: unde ait, *Vulneraſti cor meum* *Cant. 4. v. 9.* *ſoror mea ſponſa*, ubi LXX. legunt, *abſtuliſti*, S. Gregorius Nyſſenus; *indidiſti*; Liceat hìc mihi rogare te Domine Ieſu, ſi abſtulit cor tuum anima ſancta, quomodo indidit? niſi cùm ſuum, amoris tui telo ſaucium, tibi indidit, tuum

tuũ amoris ſui jaculo vulneratũ à te ab-ſtulit, felici, ac beata permutatione, ut illa in te, & tu in illa viveres. *Nudemus*, inquit Ambr. *corda noſtra bono vulneri: nudemus ſagittæ electæ, quæ Chriſti caritas eſt*. Et alibi: *Bona vulnera, quæ non ſunt timenda, ſed optanda; cùm in illis ſit vera ſalus, & vita.* *in Pſ. 118.* *L. 2. Apol. David c. 18.*

Atque ita concludens teſtamentum, & codicillum amoris, quibus Dominus Ieſus tanta bonitate nobis ſacratiſſima ſua vulnera, & cor ipſum ſuum legavit, ſupplex eum roga, ut divinis hiſce tabulis nomen ſuum pretioſo ſuo ſanguine ſubſcribat, ſignetque illas eorumdem ſacratiſſimorum vulnerum ſuorum ſigillo; ut quemadmodum canit Eccleſia *Ipſi ſit gloria, ipſi triumphus & victoria, ipſi ſummæ laudis, & honoris corona*, per ipſam hanc divinorum ſuorum vulnerum Coronam. *In Miſſa de paſſ. Dom.*

ALLO-

ALLOCVTIO

Ad Beatiſſimam Virginem, ac Matrem Dei Mariam.

HIc ego te compello, Mater Virgo ſanctiſſima, quæ, uti partem magnam habes in doloribus, vulneribus, ac morte filij tui dilectiſſimi, ita quaſi jure tuo tacitè exigis, ut & partem habeas, in amore ac corde noſtro. Eſt ipſe corpore crucifixus; tu illi materno corde confixa es; Ipſe in manibus, pedibus, ac latere vulneratus eſt: *tuam animam doloris gladius pertranſivit.* Ille quidem lateris vulnus lanceâ factum, mortuus non ſenſit; ſed tuum illa cor transfixit. Infinitus amor, quo nos proſequebatur, illum in tormenta hæc crudeliſſima conjecit; at amor tuus ineffabilis, quo eum, & nos proſequebaris, incredibili te dolore affecit. Proſtratus itaque ad virgineos, ac maternos pedes tuos, te oro ſupplex

Luc. 2. v. 34.

ſupplex, trahe me in illius, ac tuum amorem; da, ut qui ſincerâ pietate ſacra dilecti filij tui vulnera coluerint, & hanc, quam in Coronolâ præſcripſimus, ea colendi methodum, piè uſurpaverint, ignitis illis amoris vinculis, quæ ex ſacris eius vulneribus proſilire vidit S. Franciſca Romana, ipſis, tibiq́ue in omnem æternitatem colligentur, ſintq́ue, cum Apoſtolo, *Vincti Ieſu Chriſti, & Mariæ.* Philem. 2. v. 1.

Vos autem animæ, quæ crucifixum Salvatorem veſtrum diligitis, uti cùm has cœpi Conſiderationes, vos ſum allocutus, ita & modò extremum alloquor; *Inſpicite, obſecro*, cum D. Auguſtino, *vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices reſurgentis. Caput habet inclinatum ad oſculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extenſa ad amplexandum, totum corpus expoſitum ad redimendum. Hæc quanta ſint, cogitate, hæc in ſtatera cordis veſtri appendite, ut totus vobis figatur in corde, qui totus pro vobis fixus eſt in cruce.* Li. de virg.

LECTOR BENEVOLE.

Salutavi te cùm accepi, ſaluto denuò, cùm pono calamum hâc adhortatione.

Si vis
Perfectè mundari à vitijs,
Notabiliter ditari in virtutibus,
Altiſsimè illuminari in ſcripturis,
Glorioſè triumphare de inimicis,
Copioſè conſolari in adverſis,
Devotè converſari in terris,
Frequenter compungi in cubilibus,
Dulciter flere in orationibus,
Frequēter accēdi in meditationibus,
Perſeverare in bonis actibus,
Impleri ſpiritualibus gaudijs,
Rapi in exceſſu mentis,
Divinis frui ſecretis,
Feliciter mori in extremis,
Perenniter regnare in cælis,
Exerce te in Ieſu crucifixi vulneribus.

Ita hunc laborem meum probat in vetuſto Manuſcripto Anonymus, & eundem

Digitized by Google

eundem oro te atque obteſtor, ut exercitatione conſtanti, in praxim redigas.

CONSIDERATIONVM

PARS II.

PRodijt non ita pridem praxis quędam Italo ſermone conſcripta, & in Flandro-belgicum tranſlata, quam opuſculo huic ſubnectam. Tradit illa modum per paſſionem, & ſacratiſſima Domini vulnera, ſingulis hebdomadæ diebus, ad beatam mortem ſe diſponendi. Qui modus, ſeu praxis, cùm venerandum Domini caput ſpinis coronatum, ejuſque in ſinum Matris è cruce depoſitionem complectatur, ſtatui & de hiſce myſterijs Conſiderationes aliquas proponere, præſertim cùm eadem, Coronolâ hâc novâ comprehendantur.

Digitized by Google

CONSIDERATIONES DE SPINEA CORONA CHRISTI.



CONSIDERATIO I.

Corona ſpinea, corona ignominiæ.

FLagellato Redemptore noſtro, atque ſi hoc atrocis adeò infamię, & crudelitatis tormentum ſatis non fuiſſet, *Milites* (Prȩſidis) *Ieſum ſuſcipientes in præto-*

Digitized by Google

prætorium, ad eum congregaverunt, inquit S. Mathæus, *univerſam Cohortem, & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus, & genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes; Ave Rex Iudæorum, & expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percuſſerunt caput ejus.* Matth. 27. Ioan. 19.

Num milites hoc fecerint iuſſu, an iniuſſu Præſidis incertum eſt. *Aut permiſit facere*, inquit S. Auguſtinus, *aut iuſſit*; ita Tertullianus; *Impietatis contumelioſæ coronam populus non conſcivit, Romanorum militum commentum fuit, ex uſu rei ſecularis*; his enim inſignibus inſigniri ſolent Reges, throno, coronâ, ſceptro, purpura, fauſtis acclamationibus, & id genus alijs. Quia igitur milites intellexerant ex falſis Iudæorum accuſationibus, Chriſtum pro Rege Iudæorum ſeſe venditaſſe, ludum, ut cum Rege, inſtituerunt, & pro throno regali, vti ait Clemens Alexandrinus, Ieſum in eminentiorem prætorij locum ſuſtulerunt, ut populi ludi- Tract. 106. in Ioan. Lib. 2. Pædag. c. 8.

Digitized by Google

brio magis ac magis exponeretur, & apud hunc à Domini ignominia laudem ſibi conciliarent.

Qui contemptus ingens fuit, quò enim quis genere nobiliori natus, & ſorte vivit digniore, eò major eſt, quæ illi infertur ignominia, generoſo, ac nobili animo ipſa morte gravior. Et quis Domino Ieſu, quis Dei filio, quis ſapientiâ Patris æterni major, ac dignior? illa tamen immenſa Majeſtas, illa bonitas infinita, coram Pilato Iudeæ Prҽſide, coram Principibus Sacerdotum, coram Senatu, ac populo Jeroſolymitano, uti ludibrium ac probrum hominum, ſpinis coronatur, & veluti Rex ludicrus omnium riſui exponitur. Potuítne ergo mortalium quiſpiam majori eſſe ludibrio? Hiſtoria nulla commemorat, ad illud uſque tempus, quempiam ſpinis fuiſſe redimitum, ſervabatur hoc dedecus Salvatori, divinæ illi Majeſtati, ut illa ſpinis coronata, nobis, D. Hieronymo teſte, Regni diadema compararet.

S. Liduwina rapta nonnumquam à Domi-

Domino Ieroſolymam, atque in Calvariæ montem, edoctaque quos illis locis Salvator pertulerat cruciatus, atque ignominiam pervolvens, quam in hac coronatione paſsus fuerat, conſuetis lacrymis deficientibus, ſanguineas addebat, atque ad omnem contemptum, pro ejus obſequio tolerandum, ſe promptam, paratamque offerebat. *Io. Brug. in p. 2. c. 7. & p. 3. c. 3.*

CONSIDERATIO II.

Corona ſpinea

Corona doloris.

RECtè ille:

In Regno patientiæ *Iuſl. Elog. 58.*

Non aliud coronat, quàm quod cruciat.

Et S. Bernardus: *In corona ſpinea non leviter impreſſa, non ſolùm opprobrium, ſed etiam ſupplicium quærunt.* Dubium non eſt, quin ingenti cruciatu ſertum hoc ſpineum, caput univerſum ambiens, *Lib. de paſ. Dom. c. 3.*

Salvatorem affecerit; nam cùm ſpinæ illæ, ex quibus nonnullæ etiam hodie Romæ, & alibi viſuntur, prælongæ & præacutæ venerandum Domini caput, uti Tertullianus loquitur, *lancinarent* & mille puncturis, ut ait Anſelmus, vulnerarent, delicatiſſimum in humano corpore membrum, & ob nobiliorem Salvatoris complexionem, longè quàm in alio ullo delicatiorem; facile eſt conijcere, quantum cruciatum Dominus in hac coronatione perpeſſus ſit.

De coro. mil.

Spec. Evan. ſerm. 15.

Lib. 7. Revel. c. 25.

Refert ſancta Birgitta ſibi Hieroſolymis exiſtenti, à Deo revelatum eſſe, oculos, aures, atque os Domini, cruore è ſpinarum vulneribus oppleta fuiſſe, totumque vultum contectum, ut cùm ſolatium, quod illi apud Patrem non erat, à matre, crucique adſtantibus amicis, quæreret, ex oculis ſanguinem expreſſerit, ut illam, hoſque conſpiceret.

Egredere, anima mea, de terra tua, de terrenis tuis deſiderijs, egredere, inquam, ex te ipſa, & vide Salvatorem

tuum

Digitized by Google

tuum in diademate, quo coronavit eum probroſa vanitas tua, in die miſericordiæ ſuæ, quando ipſe æternam tibi gloriæ coronam præparabat. B. Angelam de Fuligno deficiebat animus, ac mortuæ inſtar corruebat, quando ſpinis coronatam Domini effigiem conſpiciebat; quàm enim piè, tàm firmiter ſibi perſuadebat, ſe peccatis ſuis curciatu hoc Salvatorem affeciſſe. Et nos tanti contemptus, ac doloris ſertum hoc ſiccis oculis, ac mente immotâ conſpicimus? nec ceſſamus ambitioſis, vanis, avaris, vindictæ cupidis, impuris, impijs cogitationibus, ſpinis ſanè longè gravioribus, coronare Salvatorem, ejuſque dolores acerbiùs renovare? *In vita.*

Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui, quam peccatis noſtris ita deformavimus, ut *non ſit illi aſpectus, neque decor.* In ſanguineo hoc & venerando vultu, videbis iniquitatem meam, & ſimul miſericordiam tuam. Aſpice, obſecro, per cruentos, & lachrymis plenos filij tui oculos mi- *Pſalm. 83. v. 10.* *Iſa. 53. v. 2.*

Digitized by Google

ſeriam noſtram ; audi per aures ejus ſanguine oppletas , gemitus noſtros; eloquere ore ejus benedicto verbum bonum , verbum ſalutis ; concede , ut mundiſſimâ puritatis animi ſindone, Veronicæ inſtar , faciem illam Domini mei Ieſu mihi abſtergere liceat , ut ſacratiſſimam hanc hominis cœleſtis, in ea portem imaginem , qui imaginem terreni (ah nimiùm diu !) portavi.

Pet. Ancre l. 5. Hiſt. Admitte homo, divinam hanc ; ad quam creatus es , in corde tuo imaginem ; quod ſanè durius eſſe non debet marmore illo , Chriſti ſpinis coronati caput, ac vultum, uti in Veronicæ ſindone , à natura expreſſum, vivaciſſimè referente. Pater æterne, te oro , obteſtorque, aufer à nobis cor carneum, in omne malum proclive , nimiſque à te, ac filio tuo dilectiſſimo averſum, & da marmoreum in quo ſacratiſſimam Chriſti tui faciem circumferamus: Saxa enim , & marmora in morte ejus ſciſſa, ac molliora facta ſunt; corda verò noſtra illis duriora perſtiterunt. Sed

Do-

Digitized by Google

Domine Ieſu benigniùs; obdurata illa corda noſtra, etſi carnea, etſi ſaxea, ſanguini tuo ſacratiſſimo intincta, velut cera ante faciem ignis, obſecro, liqueſcant, ut totus in nobis formeris, nulluſque in nobis alius, niſi Ieſus, agnoſcatur.

CONSIDERATIO III.

Quomodo Salvatorem ſuum homo ſpinis coronet.

REfert Plinius, Spini floribus ſolitos fuiſſe Romanos, Deos ſuos coronare: at nos ſpinis coronamus Deum, ac Salvatorem noſtrum. Flores, roſas noſtras, quod ſcilicet vitæ nobis optimum eſt, annos virides, ac validos idolis, hoc eſt, Mundo, ac deſiderijs noſtris damus; diebus vitæ ultimis, ætate defloreſcente, & vix ad quidpiam utili, veluti ſpinis infrugiferis, Salvatorem coronamus, uti appoſité indicat ille; *Lib. 13. cap. 11.*

Coronaris devota ſacrificio victima, *Iugl. Elog. 58.*

At

At quia vanitas hominum
Omni jam roſas legit ex horto,
Solæ tibi ſpinæ ſuperſunt.

Lib. 1 de Cruce c. 14. Narrat Iacobus Boſius fide probatiſſimâ, Rhodi apud S. Ioannis Equites, quos Melitenſes modo dicimus, ſpinam è Coronâ Domini Hieroſolymis eò delatam, flores protuliſſe annis pluribus veneris ſancto die, quem Paraſceven vocant, adeoque magnum Ordinis Magiſtrum à ſede Apoſtolicâ feſtum diem impetraſſe in honorem Coronæ Dominicæ, undecimâ Auguſti die celebrandum. Et nobis ſpinæ Domini, uti Clemens Alexandrinus ait, plantatæ in vertice divino, in horto illo nobili, non ſolùm proferre debent bonorum deſideriorum flores, ſed & fructus operum meliorum. Lib. 2. pæd. cap. 8.

Lib. de coron. mil. Intelligebant id, Tertulliano eodem teſte, primi Chriſtiani, qui capita floribus redimiri nolebant, quia Salvator ſpinis coronatus fuerat. Neque ſancta Eliſabetha, Haſſiæ Landgravia, Andreæ Hungariæ Regis filia, dum ad Surius in vita eius.

Digitized by Google

ad templum procederet, coram Chriſti in cruce pendentis effigie precatura, ullum capitis ornatum admittebat. Philippa, Caroli Geldriæ, ac Renati Lotharingiæ Ducum, hujus uxor, illius filia, marito vitâ functo, cùm ſe Muſſiponti in Monaſterium recepiſſet, ſubmovens è ſcutis gentilitijs tam Geldriæ, quàm Lotharingiæ Ducales coronas, ſpineas earum loco repoſuit; Godifredi Bullonij æmula, qui è Lotharingica domo oriundus, & in Regem Hieroſolymorum electus, repudiatâ coronâ aureâ, & ſpineâ capiti impoſitâ, ajebat; *Non decere Chriſtianum Regem auro coronari in ea urbe, in qua Rex regum coronam ſpineam geſtaſſet.* *Anony. tr. de paſſ. Dom.*

Ioſephus, Salomonis Aulam, Aulicoſque deſcribens, *His*, inquit, *decus addebant Equites, flos iuventutis, procera ſtatura, promiſſoque capillitio conſpicui, & tunicâ è ſarranâ purpurâ induti. Ad hæc ramentis auri capillum quotidie ſpargebant, ut ad ſolarium radiorum contactum fulgor à capitibus eorum reflecteretur.* Miraris hæc lector?

lector? Miror ego magis & deplor post Salvatoris ſpinis coronati exemplum, Christianos ab hoc diſcedere imitari Salomonis Equites, gemmis floribus caput coronare, odorato pulvere inſpergere, non ut Deo, ac Redemptori ſuo, ſed illis placeant quibus placuiſſe, perijſſe eſt. Non hi ſunt fructus, non flores ſpinarum Christi Ieſu. Audite Iuvenes Tertullianum, militem adhortantem,

Tract. de coron. mil. *Vis tu laureâ, & myrto, & oleâ, & illuſtriore quâque fronde, & quod magis uſui eſt, centenarijs quoque roſis, ex hortis Midæ lectis, & utriſque lilijs, & omnibus violis coronari, etiam gemmis forſitan, & auro, ut & illã Chriſti coronam æmuleris? Si ob hanc caput tuum debes, tale, ſi potes, ei repende, quale ſuum pro tuo obtulit; aut nec floribus, nec gemmis, nec auro coroneris, ſi ſpinis nõ potes.*

Perpende hæc anima mea; da coronato Deo, ac Domino tuo honorem, & gloriam: fructus hic ex ſpinis eius efflorescat, corona illum flo[...]ibus ac roſis; florentibus ſcilicet, ac vegetis vitæ tuæ annis in obſequium eius impenſis,

ſis, ut & te in miſericordia, & miſerationibus in omnem coronet æternitatem.

CONSIDERATIO IV.

Quibus ſpinis in hac vita coronari debeat homo.

NOn decet, inquit Bernardus, *ſub ſpinoſo capite, membrum fieri delicatum.* Ita indicavit S. Agapitus, annorum quindecim adoleſcens, cùm galerum ferreum candentem ejus capiti lictor imponeret; *Parum eſt, inquiebat, in terra caput aduri, coronandum in cælo: quàm decorè corona gloriæ ornabit caput*, pro Chriſto ſpinis coronato, *afflictum?*

Serm. 5. de omnib. SS.

In Act. Marty. eius.

Beata Rita Itala, è divi Auguſtini familia ante Chriſtum crucifixum orationi magno fervore intenta, avidaque quidlibet pro illo tolerare, tantos, tamque acutos dolores in capite paſſa eſt, ac ſi univerſum ſpinis acutiſſimis pungeretur. Inde revulſa è corona Domini ſpina, lucido immixta radio, in frontem ejus adacta eſt, eo vulnere quod nullâ manu medica unquam

Gaſp. Man. in eius vita.

Digitized by Google

quam curari potuit. Vermibus illud ſcatebat, quos Angelos ſuos Rita appellabat; ſanies tamen ex vulnere fluens, & graveolentia, nulli niſi ipſi gravis erat: æquo animo omnia tolerans, propter eum, qui in ſacroſancto ſuo capite, tanta pro nobis perpeſſus fuerat.

In vita eius. Duas coronas obtulit Salvator ſanctæ Catharinæ Senenſi, ſpineam vnam, auream alteram. Spineam in hac vita elegit Catharina, ut auauream in cœlo obtineret. Semel enim ſpinis coronandi ſumus, vel dum vivimus, vel dum vivere deſijmus.

In vita eius. Liduwina annis triginta ſex morbo continuo decubuerat. Iam morti vicina viſitur ab Angelo, qui eam hortabatur ut coronam ab ea jam diu cœptam pertexeret, ſpinas paucas deeſſe, quas paucorum dierum patientia datura eſſet, immarceſcibilem deinde gloriæ coronam acceptura, quæ omnibus, afflictionum ſuarum ſpinas læto animo perferentibus, aſſervatur.

In vita. S. Guilielmus Roſchildenſis in Dania

nia Abbas, eximiæ vir ſanctitatis, octo & nonaginta annos natus, cùm lecto poſtremo ex morbo affigeretur, per noctis quietem Angelos vidit, coronam auro, gemmiſque diſtinctam apparere. Petijt Guilielmus cui illa deſtinetur? Tibi, inquiunt Angeli. Quærit quando perficienda ſit? aiunt illi, dum paſſus fueris ſatis. Quaſi dicant, dolorum, ac tribulationum ſpinas à nobis cœlo tranſmittendas, quæ à divina manu acceptatæ, in gemmas aurumque convertantur, ex quibus cœleſtis nobis corona conficiatur.

CONSIDERATIO V.

Ex SS. Patribus deſumpta.

S. Ambroſius, *Corona*, ait, *de ſpinis, quæ capiti Chriſti imponitur, oſtendit quòd de peccatoribus mundi, tanquam de ſæculi ſpinis, triumphalis Deo gloria quæreretur.* In Luc. 22.

S. Auguſtinus: *Sic*, inquit, *Regnum quod de hoc mundo non erat, ſuperbum mundum, non atrocitate pugnandi, ſed pa-* Tract. 116. in Ioan.

 tiendi

tiendi humilitate vincebat. Portans ſpineam coronam, & purpureum veſtimentum, non clarus imperio, ſed plenus opprobrio.

Serm. de Cruce & Paſſ.

S. Athanaſius: *Miraculum*, inquit, *novum & incredibile, & magnæ ſine dubio victoriæ inſigne, quem per ludibrium, ſubſannationemque pulſabant, ei triumphalia addiderunt ornamenta, coccineam chlamydem, & coronam ſpineam & calamum. Nam tametſi ea per ludibrium agebant, efficiebatur tamen inde ut pro ſpinis lignum vitæ nobis Salvator largiretur, & pro ſanguine peccatorum, ſuo ſanguine & terram, & omnes emundaret.*

Catecheſi 23.

S. Cyrillus; *Myſterium erat corona, ſolutio enim erat peccatorum, diſſolutio autem maledictionis. Accepit ſententiam Adam: Maledicta terra, in operibus tuis, ſpinas & tribulos adferet tibi; propterea Ieſus accepit ſpinas, ut ſolvat hanc maledictionem.*

Lib. de Coron. Militis cap. 14.

Indue, anima mea, ut te docet Tertullianus, ſpineam Chriſti coronam, *ut illam ejus coronam æmuleris, quæ poſtea ei obvenit; quia & favos poſt fella guſtavit, nec ante Rex gloriæ à cœleſtibus ſalutatus eſt*

eſt, quàm Rex Iudæorum proſcriptus in crucem, minoratus à Patre modicum quid citra Angelos, tandem gloriâ, & honore coronatus fuit.

Hoc pietate conſtanti perpendens Maria Auſtriaca Caroli V. Imperatoris filia, Maximiliani II. Cæſaris uxor, Imperatorum Rodolphi & Mathiæ, Archiducum Erneſti, Maximiliani, & Alberti Belgarum Principis Mater, uti Imperio, & Regnis potens, ita pietate, & virtute auguſta, coronas Cæſareas & Regias omnes tantopere aſpernabatur, ut præ omnibus ſertum Redemptoris ſpineum, ſacratiſſimis ejus quinque vulneribus, veluti gemmis totidem, intertextum, illi ſolidis in delicijs eſſet, hac epigraphe, *Hæc ſola ſpes mea.* ut & hæc ſola ſpes noſtra ſit, agamus apud ſpinis coronatum Regem noſtrum *Ieſum*; quod conſequemur, ſi coronam ſpineam, non eam, quę Salvatoris eſt, ſed quam pœnitentiæ appellat Innocentius III. Pontifex Maximus, capiti, *menti*, inquit, *circumponamus*, de qua dicit Pſalmiſta,

Converſus ſum in ærumna dum configitur ſpina. Spinis abundabat Corona Domini; Pœnitentiæ coronam ſpinis tantùm tribus vult conſtare Innocentius, *contritione ſcilicet, confeſſione & ſatisfactione. Prima*, inquit, *pungit cor propter variam cogitationem; ſecunda pungit os, propter vanam locutionem; tertia pungit manus propter iniquam operationem. Prima pungit per dolorem. Secunda per pudorem. Tertia per laborem.* Coronâ hac coronare peccator, *ut te coronet Deus in miſericordiâ & miſerationibus.*

CONSIDE-

Digitized by Google

CONSIDERATIONVM PARS III.

DE DOLORE BEATÆ VIRGINIS.



Digitized by Google

CONSIDERATIO I.

Quantus fuerit Deiparæ Virginis Mariæ dolor in paſſione, ac morte Filij ſui dilectiſsimi Ieſu Chriſti.

SPectaculum nunquam triſtius, nunquam triſtiorem Matrem, neque meliorem: nunquam miſeriorem Filium, neque digniorem, nunquam homicidium Deicidio junctum vidit, obſtupuit, & luxit cœlum, ac terra! Meritò ſpectaculum hoc perpendens in Calvariȩ monte pius ille Belga, corde confracto, exanimis corruit.

Cantipr. l. 1. Ap. 25. n. 5.

Spectaculum memorabile, ſed huic non comparandum exhibuerunt Salomona, Symphoroſa, ac Felicitas, nobiles illȩ ac religioſȩ matronæ, ſingulæ ſeptem filiorum, fortium æquè, & in pietate conſtantiſſimorum Iuvenum, matres. Salomona, centum ac ſexaginta annis ante Chriſti ortum, ſeptem Machabæorum mater, Symphoroſa, & Felicitas, poſt Chriſtum, filios conſpexe-

Lib. 2. Machab. c. 7. Brev. Rom. 18. Iul & 23. Nov.

conſpexerunt horrendis cruciatibus, pro fide ac vera religione, & divinæ Majeſtatis obſequio, generosè vitam ponere, non alio quidem doloris ſenſu, quàm qui optimas matres decebat, ingenti tamen animi fortitudine ac gaudio, quòd bona voluntate ſua, eos ad Dei gloriam æternæ vitæ jam parerent, quos mortali ante peperiſſent.

At quo animi ſenſu Deipara, filij ſui dilectiſſimi ſupplicia crudeliſſima, & mortem acerbiſſimam, ac maximè infamem ſpectavit? Hunc ejus dolorem aliqui exiguum nimis faciunt, quaſi affligeretur minùs; quòd illi de divina voluntate conſtaret, alij magnũ nimis & ſui impotentem, cùm exiſtimant illam in clamores, & ejulatus erupiſſe, & animi deliquia eſſe paſſam. Tantus tamen fuit, qui optimam tanti, & tam digni filij Matrem decebat. Nam ſi in Salvatoris morte petræ ſciſſæ ſunt, & terra mota, atque obductis mundo tenebris, Sol lumen ſuum negavit, ingenſque mœror univerſo orbe hominum animos pervaſit, quis dicere

Digitized by Google

çere audeat, aut perſuadere ſibi poſſit, ſiccis oculis, cordeq́ue immoto Mariam ad cruciatus, & filij infandam mortem ſtetiſſe, ubi ipſe hanc prævidens ajebat, *Triſtem eſſe animam ſuam uſque ad mortem.*

Mar. 14. v. 34.

S. Iure l. elect. c. 6. ſect. 2.

Piè ſcribit nonnemo, graviora paſſam Deiparam, dum in ſtabulo Bethleemitico, parvulo ſuo Ieſu vbera virginea præberet, quàm in extremis ſupplicijs Martyres: præſentiebat enim ſingulas lactis materni guttas, quas divinus infantulus duceret, in ſacratiſſimum ejus ſanguinem convertendas, qui flagellis, ſpinis, clavis, alijſq́ue intolerandis cruciatibus, illi ex venis omnibus exprimeretur; & ne guttula illi ſuperfutura eſſet. Quantus itaque Matris optimę fuit dolor cum vniverſum in Cruce vidit effundi? qui judicio ſancti Bernardini Senenſis, *ſi in homines ſingulos diviſus fuiſſet, vitam ſingulis ademiſſet:* quia, uti D. Paulinus ait, *doloris idem gladius, qui Chriſto in cruce mortem attulit, Matris animam in ejus mærore transfixit.*

Tom. I. Serm 61.

Epiſt. ad S. Auguſt.

CON-

CONSIDERATIO II.

Rationes doloris Deiparæ.

BEata Ludgardis inter meditandum de patientis Salvatoris doloribus, ſanguine, toto corpore, præ affectu, & commiſeratione perfundebatur. B. Maria d'Ognies, ut teſtatur Iacobus Cardinalis à Vitriaco Nivellis è Brabantia Gallica oriunda, conſpectâ quacunque Chriſti patientis effigie, profuſis lacrymis, etiam viam, quâ gradiebatur, perfundebat. Et Maria mater conſpecto Ieſu filio, ludibrijs tam indignis expoſito, colaphis cæſo, conſputo, flagellato, ſpinis coronato, clavis crucifixo, ſine dolore, ſine lacrymis eſſet? quas etiam ſanguineas fuiſſe affirmat Germanus Conſtantinopolitanus. B. Laurentius Iuſtinianus ait; *Cor Virginis clariſſimum fuiſſe ſpeculum paſſionis Chriſti, & perfectam mortis eius imaginem. Erat*, inquit S. Bonaventura, *ſentiens hoc, quod & in Chriſto Ieſu: In animo enim illi martyri conmartyr,*

Barth. Fizen. in vita cap. 2. 16. Iunij.

L. de agone Chriſti.

Serm. I. poſt. Dom. Epiph.

tyr, vulnerato convulnerata, crucifixo concrucifixa adſtabat. Vulnera, inquit Bernardus, *filij morientis, erant vulnera Matris dolentis.*

Ignoti, ait ille, *nulla cupido*; ut vel amiſſum doleamus, & requiramus, vel non habitum, aut non poſſeſſum, ut conſequamur. Cui, in cœlo, terráve quanta Deiparæ, conceſſa erat à Deo Salvatoris notitia? quidni ergo incredibili dolore mœreat, & affligatur ob illum crudeliſſimè habitum, & infami crucis morte ſibi ereptum?

Noverat ſanctiſſima Mater eum eſſe Dei Filium, Salvatorem mundi, tot jam labentibus ſæculis deſideratum à Patriarchis, prænuntiatum à Prophe-
Iſ. 53. v. 3. tis, quem videt *deſpectum ac noviſſimum*
Pſal. 21. v. 6. *virorum, opprobrium hominum, & abiectionem plebis.*

Noverat illum ſibi ab Angelo annuntiatum, à ſe conceptum de Spiritu ſancto, quem Mater & Virgo, inaudito Dei beneficio, pepererat.

Luc. 2. v. 14. Noverat illum eſſe, illum cuius nativitate Angeli *gloriam in altiſſimis Deo*
con-

concinuerant, *& pacem, in terra hominibus. bonæ voluntatis;* &. audit populum Pilato furioſè acclamantem, *Tolle,* Io. 19. v. 15.
tolle; crucifige eum.

Noverat eum magnum illum Regem ac Deum eſſe, adoratum, ac muneribus honoratum à Magis, quem videt latroni, ac homicidæ Barabbę poſtponi, & veluti Regem ludicrum purpurei panni fruſto indui, ac ſpinis coronari.

Noverat optima Mater illum eſſe ſuaviſſimum, ac dulciſſimum Angelorum, hominumq́ue gaudium, cum quo illi fuerat ſemper cor vnum & anima vna, qui puerulus ante tot annos tenellis ſuis manibus collo eius virgineo adhęſerat: nunc illum conſpicit cruci infandæ clavis affixum, medium pendere inter latrones, *virum dolorum, &* Iſa. 53. v. 3.
ſcientem infirmitatem: & ipſa doloris, ac mœroris Mater non erit?

Eia Mater fons amoris,
Me ſentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.

CON-

CONSIDERATIO III.

Rationem, immenſum Deiparæ dolorem, ac mœrorem ſemper gubernaſſe.

QVamvis dolor ac mœror in Deipara ingens fuerit, ſemper tamen ratio, illa ita moderata eſt, ut divinæ voluntatis conformis, non in querelas, clamores, eiulatus proruperit, nulliſque ſpaſmis, ut loquuntur, ſeu animi deliquijs mœſtiſſima mater, atque afflictiſſima, obnoxia fuerit. Nam ſi Abraham, imperatam ſibi à Deo Iſaaci unigeniti ſui necem, ęquo adeò animo tulerit; Si Salomona, Symphoroſa, Felicitas maternos ante oculos, atrociſſimis tormentis, filijs lectiſſimis atque optimis vitam eripi conſpexerint immotæ; ſi confractis cruribus brachijſque Melithonem ſuum illa mater cohortata eſt, ut adhuc tantiſper tormenta fortiter toleraret, identidem ingeminans, adſtare illi ſpectantem, & exſpectantem Chriſtum, ac deinde ſuaviſ-

ſuaviſſimum onus in humeros ſublatum ſocijs Martyribus, carpento, ut flammis traderentur, avectis, adiunxit, poſtquam in maternæ voluntatis religioſiſſima ara illum Creatori ſuo obtuliſſet, holocauſtum in odorem ſuavitatis; ſi, inquam, parentes iſti, milleque alij, licet non ſine ingenti paterni ac materni animi ſenſu, nulla tamen huius perturbatione, fixâ in Dei voluntatem, eiuſque obſequium, ac gloriam mente, filijs orbari potuerunt, quidni & idem de Deipara arbitrabimur, quæ perfectionis omnis ac fortitudinis imago erat, divinamque voluntatem conſtantiſſimè habebat pro ſua? *Stabat, itaque,* inquit S. Antoninus, *iuxta crucem Maria, fide & animo conſtans, verecunda, modeſta, lacrymis plena dolori, immerſa, ſed ſine querelis, ſine murmuratione ſine ullo vindictæ ſenſu in eos, qui filium adeò crudeliter tractarent, exhibebat ſe afflictiſsimæ quidem, ſed & patientiſſimæ Matris exemplar.* Quæ, uti ait Ioannes Gerſon, ſi Deus juſſiſſet, proprijs P.4.tit. 15.c.41. §.1.
ma-

manibus crucifixiſset filium, neque enim credendum eſt minoris fuiſſe perfectionis, & obedientiæ erga Deum, Abraham, qui proprium filium Deo in ſacrificium proprijs manibus occidendum, & comburendum, obtulit. Hæc erat conſtantia ac moderatio ſanctiſſimæ, atque afflictiſſimæ Matris, quo exemplo par eſt, nos ut geramus in omnibus, quæ adverſa nobis obveniunt.

Tr. 2. ſuper Magnificat ex SS. Anſelmo, & Antonino.

CONSIDERATIO IV.

Depoſitus à Cruce Salvator in ſinu Matris recumbit.

HOc ſpectaculum noſtrum eſt, crucifixus, vulneratus, cruentus, mortuus Ieſus in virgineum Mariæ ſinum à Cruce depoſitus, optimus ſcilicet, ac ſuaviſſimus ille filius inter brachia optimæ, ac ſuaviſſimæ Matris, ille filius deformatiſſimus,

Digitized by Google

mus, inter amplexus matris affictiſſimæ.

Crede, anima mea, cùm tam lugubri huic ſpectaculo aſſiſtis, mœſtiſſimam matrem plenos lacrymarum oculos ad te à vulneribus dilectiſſimi filij tantiſper convertere, manuque corpus lacerum tibi oſtendentem, ſimul ita te alloqui: Ecce, quò Deum, & Dei matrem tu adduxeris: tu enim horum tormentorum, dolorum, vulnerumque cauſa es.

Eia Mater amantiſſima & afflictiſſima non iam faſciculus myrrhæ, ſed faſcis ingens eſt tibi filius dilectiſſimus, qui eò tibi fit gravior, quò animum meum adeò parum tibi compatientem clariùs introſpicis, neque proferentem fructum dignum pretioſo Salvatoris ſanguine, ac virgineis tuis lacrymis, quibus tam copioſè irrigatus eſt.

B. Birgitta mirum in modum doloribus B. Virginis compatiebatur, illius querelis permota, raros ſcilicet eſſe, qui eam ſincero amore colerent; pauciores,

ciores, qui illi in filio patiente, ac crucifixo compaterentur, cùm tamen viro nobili, ſed admodum impio, uti ipſa S. Birgitta refert, ſaluti ad extremum fuiſſet, Deiparæ aliquando fuiſſe compaſſum; æternis doloribus nolenti addici animam, quæ ſibi, licet rariùs, & modicè condoluiſſet.

Rax. l. 1. Mer. B. Virg. In quo longè aliter ſe geſſit Sacerdos quidam Deiparæ dolores perpendens, qui ut illam ſolaretur: Gaude, ajebat, Maria, in afflictione tuâ; quia gaudium ab Angelo ſuſcepiſti, & mundo peperiſti: Gaude Maria, quia Dei Mater & Virgo es. Gaude Maria, quia omnis creatura in cœlo, & in terra te collaudat, & in te lætatur. Contigit illum gravi morbo affectum ad extrema redigi, & in ſalutis deſperationem à dæmone conjici: Adfuit confeſtim Deipara; Et tu, inquit, fili, cur mœrore conficeris, qui in mœrore meo me toties ſolatus es? Animos reſume, & lætus mecum veni, & intra in gaudium Domini tui. Ita Deiparę condoluiſſe, ęternorum gaudiorum principium eſt.

Digitized by Google

CONSIDERATIO V.

Adoratio defuncti Salvatoris in ſinu afflictæ Matris.

CVm jam verſemur in diei Veneris ſancti myſterijs, in die ſupremo Salvatoris, ab æterno præordinato, & in tempore ſecundum ſanctiſſimam æterni Patris voluntatem completo,

Conſidera anima mea, Deiparam ad crucis pedem, veluti ad aram Mundi conſidentem, è nobiliſſimorum ac religioſiſſimorum virorum Ioſephi Arimathæi, & Nicodemi manibus, crucifixi, & defuncti Salvatoris, filij ſui dilectiſſimi lacerum corpus excipere, deoſculari venerandum eius caput, ſacroſanctam faciem livore plenam, manus ac pedes clavis perfoſſos, cruentum corpus lacrymis abluere, ſuaviſſimo lateris vulneri præcipuè affigi. Poſt hæc dolentis Matris pia, & mœſta obſequia, Magdalena, alijque,

qui aderant, magnâ reverentiâ, ac ingenti ſenſu, corpus Dominicum adorarunt, & humili oſculo ſacra eius vulnera venerati ſunt.

Ludovicus Iacobellus To. I. vitarum SS. Vmbriæ.

Quod obſequium quàm gratum Salvatori ſit, docuit ipſe, cùm B. Angelę de Fulgino apparuit eâ formâ, quâ de Cruce depoſitus in ſinu afflictiſſimæ Matris, recenti fluens ſanguine decumbebat; quem circumdari & magnâ reverentiâ adorari à ſubditis ſibi Religioſis videbatur conſpicere, eaſque à Domino ad pium oſculum lateri ſuo ſacratiſſimo ferendum benignè invitari: inter quas B. Paſqualina ex fonte illo diviniſſimo tantam Dominici ſanguinis copiam, tantumque cœleſtis ſuavitatis, ac ſolatij hauſit, ut in aliam omninò mutata videretur. Ita prodeſt defunctum, atque vulneratum Salvatorem piè ac reverenter, in ſinu dolentis Matris recumbentem, venerari.

Cogor hîc iterum ex pia & eleganti elegia in rem affectumq; præſentem, paucos hos verſus decerpere, & Virgini

Virgini Matri exanime Filij ſui corpus de cruce depoſitum, habenti in ſinu, mœſtiſque lacrymis inſpergenti, dedicare.

Téne ego (nec movear?) videam mæſtiſſima matrum, Sidron. de Hoſſche in eleg.
Complexam nati membra cruenta tui?
Eque tuis oculis, ſuper illius ora cadentes
Aſpiciam lacrymas, contineamque meas?
Ecce ſuo tecum rerum natura parenti
Ingemit, & quo tu, funere læſa dolet.
Omnia cùm doleant, uni mihi pectora conſtent
Rupibus, & ſciſſis aſperiora jugis?
Qui ſum cauſa tui, ſim pars quoque, diva doloris,
Et minuam luctus, hac ego parte, tuos.

Calirhoë nobilis puella, proba atque innocens, Pataræ, quæ Achaiæ urbs eſt, oriunda, ad mortem dijs placandis damnata erat. Sacrificulus cultro expedito, ut eam jugularet, ejus modeſtos mores, gratias, formam intuitus, puellæ parcit, ſibique cultro in cor adacto vitam eripit. Attonita Calirhoë, & non expectati caſus horrore

perculſa, in defunctum exanimis corruit, vitamque in vulnere ejus ſepelivit. Eramus nos nocentes, eramus æternâ morte damnati omnes, at Dei Filius pro nobis crucem ſubit, cor ſibi à milite transfigi patitur. Et quis in illud, non dico vitam, ſed affectum deponit? Plangentem hîc Auguſtinum audiamus, dum vel in cruce ſuffixum, vel ex ea in Matris mœſtiſſimæ ſinum depoſitum, contemplamur Salvatorem *Quid commiſiſti*, inquit ille, *dulciſsime Ieſu, ut ſic judicareris? Quid commiſiſti amantiſſime Salvator, ut adeò dirè tractareris? Quod ſcelus tuum, quæ noxa tua, quæ cauſa mortis, quæ occaſio tuæ damnationis? Ego ſum tui plaga doloris, tuæ culpa occiſionis. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium. Ego tuæ paſſionis livor, tui cruciatus labor. O mirabilis cenſuræ conditio, & ineffabilis myſterij diſpoſitio. Peccat iniquus, & punitur juſtus, deliquit reus, & vapulat innocens, offendit impius, & damnatur pius. Quod meretur malus, patitur bonus. Quod perpetrat ſervus, exoluit Dominus. Quod committit homo, ſuſtinet*

Lib. Med. c. 7.

Digitized by Google

Deus. Quò nate Dei, quò tua deſcendit humilitas? quò tua flagravit caritas? quò tua proceſſit pietas? Ego enim impiè egi, tu pœnâ mulctaris: ego facinus admiſi, tu ultione plecteris: ego ſuperbivi, tu humiliaris: ego tumui, tu attenuaris: ego inobediens extiti, tu obedientia ſcelus inobedientiæ luis. Ego fruor delicijs, tu virgis, ſpinis, ac clavis laniaris. Quò nate Dei tua excrevit benignitas? quò tuus attigit amor? Quò pervenit compaſſio?

In Othonis, Romanos inter Imperatores octavi, ex prælio deportati, multiſque vulneribus ſaucij corpus, ſe proruebant milites, illi amplexu, lacrymis, oſculiſque, quaſi parentando, juſta ſolventes. Fuêre, qui nefas putantes, patriæ parenti optimo eſſe ſuperſtites, vitam ſibi adimebant. Iacet in ſinu mœſtiſſimæ matris mortuus, & graviſſimis vulneribus confoſſus Salvator; ubi amplexus? ubi oſcula? ubi lacrymæ? Quidni ei compatiamur, & vulneri ejus ſacro immoriamur, uti ei ſoli vivamus, qui pro nobis mortuus eſt? *Ne*, ut ait Bernardus, *perinde ac ſi* *Xenophon in eius vita.*

injurijs, & maleficijs, ab eo fuiſſemus affecti, in eum crudeliùs exardeſcamus, eoq́ue ſpectante in omne ſcelus ruere non erubeſcamus.

Meliora benigniſſime Ieſu tibi debeo, & voveo, votumq́ue non violandum confirmo, & obſigno cruento ſacratiſſimorum quinque vulnerum tuorum ſigillo.

MEMORIA

Perpetua Paſſionis, & Vulnerum D.N. Ieſu Chriſti, quâ homo ſe ad felicem mortem diſponat.

QVandoquidem indubitatum ſit aliquo nos hebdomadæ die morituros, omni die, ut *beati in Domino moriamur*, comparare nos debemus; Cùm verò nullum certius ac ſecurius medium habeamus ad hanc tam neceſſariam præparationem, à qua dependet æternitas, quam paſſionem, ac ſacra Domini Ieſu vuluera, nobis ab ipſo in præ-

Apoc. c. 14. v. 13.

Digitized by Google

præſentiſſimum ſalutis noſtræ ſubſidium, in glorioſo ſuo corpore reſervata, uti in præcedentibus Conſiderationibus vidimus, diſtribuam in ſingulos hebdomadæ dies, addito ſacro Domini capite ſpinis coronato, eiuſque benedicto corpore de Cruce depoſito, ut cum eodem; in ſanctiſſimæ Virginis, ac Matris Mariæ manus, animas noſtras deponamus.

Fuit Ludovico Bloſio in vſu quotidianũ hoc pietatis exercitiũ erga Domini vulnera, hâc precatione: *Domine Ieſu Chriſte, gratias tibi ago pro iſtis colendis vulneribus tuis, Eia, erige me in illa, abſconde me in eis, inſcribe & imprime illa cordi meo intimè, ut tui amore totus ardeam & medullitus tibi compatiar.* Ita Bloſius. Fuit hæc ad mortem per vulnera Domini præparatio P. N. Vincentio Carrafa admodum commendata, eamque libellis Neapoli petitis, ſingulis Patribus diſtribuit in Generali Octava Congregatione, in qua Societati vniverſę præpoſitus fuit. Diſtribuit & Patribus iiſdem ſacrorum quinque vulnerum Co-

In tract. quotid. exercit.

Coronam, à primis ſuis in Societate annis ſuaviſſimæ huic pietati mirum in modum addictus, à qua raras ille virtutes hauſit, quæ à ſcriptore vitæ eius laudatiſſimæ recenſeatur & inſi-
Bartol. l. 2. cap. 12. gni prodigio à Salvatore compro-ſunt, quando viſus, audituſque fuit dilectæ Matri ſuæ Vincentium commendare vulneribus patentibus, magnamque margaritarum ac lapidum pretioſorum vim depluentibus, qui virtutum illius ſigna erant manifeſta, quas ex ſacris illis fontibus hauſerat, illis in æterna beatitudine quaſi totidem gemmis exornandus, ac coronandus. Adoranda itaque Domini vulnera P. N. Vincentio auxilio ac patrocinio fuerunt ad vitam ex virtute omni inſtituendam, & felicem, atque beatam obtinendam mortem, pro qua ut & nos quotidie laboremus; hanc, quæ ſequitur, formulam, conſcripſit.

Præludium I.

CVm manè expergiſceris, ſanctiſſimâ, atque auguſtiſſimâ Trinitate collaudatâ, & adoratâ per Hymnum, *Te Deum laudamus*, facta fidei profeſſione, recitato *Apoſtolorum Symbolo*, actis divinæ Maieſtati gratijs, quòd illa nocte te à morte improviſa, & alijs animæ periculis liberaverit, excitata demum ſincerâ contritione, quòd divinam Majeſtatem, Creatorem, Conſervatorem, ac Redemptorem tuum, Patremque optimum, tot, tamque gravibus peccatis toties offenderis, orabis Angelum tuum Cuſtodem, ut te ad ſanctiſsimam Dei matrem deducat, quam *Salutatione Angelica* veneraberis, additâ uſitatiſſimâ illâ precatiunculâ, *Sub tuum præſidium confugimus, &c.* orabis illam, uti ſacrorum vulnerum dilecti Filij ſui Theſaurariam, ut in illud vulnus nos admittat, quod iſti diei aſſignatum eſt, & addes,

Fac ut plangam Chriſti mortem
Paſſionis eius ſortem,
Et plagas recolere.

Præludium II.

INtroductus à Deipara in ſacrum quodcunque vulnus, omni reverentiâ illud ſalutabis, & adorabis, diceſque cum Propheta: *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo quoniam elegi eam.* Pſal. 131. v. 14. Offeres ſacro iſti vulneri cogitationes tuas, verba, ac opera diei iſtius, proteſtaberis in illo te velle cum hoſte infernali confligere, velut in arce tutiſſima; in eodem te vivere velle, ac mori; ex illo, & non alio loco velle te ad æternam beatitudinem tranſire. Per illud, per cruciatus in illo toleratos à Salvatore, per ſanguinem ex illo profuſum rogabis Dominum, ut omnia hæc conſequi, ac obtinere valeas.

Die Lunæ.

MAné expergefactus præmiſſo præludio primo, introductus

à

Digitized by Google

à Deipara in ſacrum vulnus ſiniſtri pedis, ſalutabis cùm omni reverentia, ac devotione, & adorabis illud in hunc modum; *Salvete Domini noſtri Ieſu Chriſti pedes adorandi tot itineribus fatigati, Magdalenæ lacrymis loti, pro nobis clavis in Cruce confixi, Hæc requies mea, &c.* Adde reliqua, quæ ſecundum præludium docet. Hoc die continebit ſe anima in ſacro iſto vulnere, conſiderando cruciatum quem in eo Salvator paſſus eſt, qui ingens fuit ex nervorum, qui in pedibus concurrunt fixurâ, & laceratione, ac mole corporis, quam transfixi clavis pedes ſuſtinebant. Secundò, conſiderabis infinitum amorem quo vulnus hoc pro te pertulit Dominus, cui non minùs fuiſti fixus in corde, quàm ipſe pro te clavis fuit confixus in cruce. Et hæ duæ conſiderationes cruciatuum Domini Ieſu, & amoris illius in alijs vulneribus etiã perpendi debẽt. Tertiò, conſiderabis rationẽ ob quam Salvator vulnus hoc perpeſſus ſit, ut ſcilicet Patri ſuo pro peccatis tuis ſatisfaceret, qui ſtimulus

mulus tibi eſſe debet, ut de illis ex animo doleas, veramque hoc die contritionem in te excites.

Die Martis.

PRæmiſſis præludijs, conſiderationibus, ac praxi præcedentis diei, in vulnus dexteri pedis à Deipara introductus, petes ſingulariter gratiam, ac fortitudinem reſiſtendi diaboli impugnationibus, atque hæc illo die præcipua erit cura, ut beneficio, atque ſacrì hujus vulneris auxilio, invadentem te inimicum viriliter repellas.

Die Mercurij.

PRæludium primum ut ſuprà; introductus à ſanctiſſima Matre in vulnus ſiniſtræ manus, illud his verbis veneraberis: *Salvete adorandæ Domini noſtri Ieſus Chriſti manus, in cruce pro nobis extenſæ, & clavis confixæ*; ſemper apertæ ut impleatis omnem animam benedictione; *Hæc requies mea &c.* Servatis

vatis verò reliquis quę in præludio ſecundo, & in praxi diei Lunæ, præſcribuntur, rogabis peculiariter per merita hujus ſacri vulneris, ab æternis inferorum ſupplicijs liberari.

Die Iovis.

PRæludia & praxis ut ſuprà: Petes ſingulariter, tibi regnum cœlorum aperiri meritis ſacri vulneris manus dextræ, repetendo ſæpius eo die hæc pij latronis verba: *Memento mei, Domine, cùm veneris in regnum tuum.*

Die Veneris.

PRæmiſſo primo præludio; Introductus à Deipara ſanctiſſima in vulneratum Domini latus, illud in hunc modum adorabis: *Salve latus glorioſum Domini noſtri Ieſu Chriſti, pro nobis lanceâ militis perforatum. Hæc requies mea, &c.* Offeres te, tuaque omnia, cogitationes, verba, & opera in holocauſtum Salvatori ſuper ſacra hac la-

teris

teris ac cordis illius ara: proteſtaberis te in illo vivere velle & mori. Conſiderabis injuriam Salvatori tuo factam, dum in exanimem ſævitum fuit: item ejus in te amorem, qui etiam mortuus pro te vulnerari, voluit, ſibique pectus aperiri, ut in eo videas quantum te diligat, & æternùm ſit dilecturus, ut amori amorem rependas, eaque die in amoris actibus erga Salvatorem tuum te potiſſimùm occupes, & cor tuum ei ſoli aperias.

Die Sabbati.

PRemiſſo prælud io primo ut ſuprà; in Societate beatiſſimæ Virginis ingredieris amœnum illum hortum ſpinoſi capitis Salvatoris, atque illud, veneraberis in hunc modum; *Salve tremendum cunctis poteſtatibus caput Ieſu Chriſti Salvatoris noſtri, pro me arundine percuſſum, & ſpinis coronatum. Hæc requies mea. &c.* Fac oblationem, & proteſtationem, ut ſuprà in prelúdio 2. Deinde ex ſpinis haſce roſas collige, conſiderando

Digitized by Google

derando, immenſos dolores, quos ex illis paſſus eſt Dominus, ejuſque cogitationes non alias fuiſſe, quàm de ſalute animæ tuæ, neque tuas alias eſſe debere, quàm de ejus obſequio & gloria à te promovendis.

Die Dominica.

PRæmiſſo prædudio primo, venera- beris corpus ſacratiſſimum Salvatoris noſtri in ſinum ſanctiſſimæ ac mœſtiſſimæ Matris de cruce depoſitum, illudque ita ſalutabis; *Salve venerandum corpus Chriſti Ieſu, pro nobis in cruce ſuſpenſum, vulneratum, mortuum, & in ſinum ſanctiſsimæ Matris tuæ depoſitum. Hæc requies mea, &c.* Addes oblationem & proteſtationem præludij ſecundi, deinde conſiderabis, quot in ſacro hoc corpore numeras vulnera, tot amoris erga te in Salvatore tuo eſſe teſtimonia. Tandem perpende, pati voluiſſe Dominum tuum, atque ita intrare in gloriam ſuam: quam & nobis

bis per merita ſacratiſſimæ paſſionis ejus ſperabimus, & poſtulabimus.

Ad majorem Dei, & patientis, ac vulnerati Salvatoris, mæſtiſſimæque, atque afflictiſſimæ Matris gloriam.

Digitized by Google

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM
Quæ in hoc Libro continentur.

A

Actiones quotidianæ

FAciendæ in vulneribus Salvatoris, 2. In quibus quaſi in templo celebrat B. Borgia. 51

Advocatus

Chriſtus eſt peccatoribus per vulnera ſua. Item & iuſtis 151. vſque 162. Petit ab hominibus iuvari in hoc patrocinio. 159. vſque 161. Vide Conſid. *Remiſſio debitorum*. 172

Agnus

Præclarè repræſentans in imagine Chriſti vulnera. 145

Aleatores

Blaſphemantes Chriſti vulnera horrendè puniuntur. 262

Amor

Salvatoris in nos eminet ex vulneribus, paſſim per omnes Conſiderationes, etiam quomodo illi reſpondendum potiſſimùm. 350. vſque 367. 224. Expreſſus in Regina Angliæ. 128. Coniugalis. V. Coniug. amor.

Anima

Quomodo eam amaverit & amet Salvator, per omnes Conſiderationes.

Arma

Sunt vulnera Chriſti. 183. vſque 194

Aſylum

In vita & morte Chriſti vulnera. 162. vſque 172

B

Bibliotheca

Noſtra Chriſtus crucifixus. 229

Blaſphemi

In Chriſti vulnera puniuntur. 262

C

Capitis & crinum cultus

Damnatur. 381. 382

Carolus IV. Imperator

Impetrat feſtum Clavorum, lanceæ & vulnerum Domini. 57

Carolus V. Imperator

Antwerpiam venit vbi ex facto ſuæ Majeſtatis commendantur vulnera Domini.

Cælator

Vulnerum Chriſti eſt Deus. 47

Cælum.

Eius felicitas, ſuavitas, pulchritudo communicatur animabus in vulneribus Domini quæ ſunt cœlũ in terra. 266. vſque 279

Pulchritudo eius augetur per vulnera Chriſti. 268. 269

Chriſtus

Pauper, deſertus, contemptus, cruciatus. 26. vſque 41

Clavi Domini

Probabilius fuiſſe quatuor. 104. vſque 110

Quatuor clavis Chriſto ſe configere debet Chriſtianus. 107

Societas IESV & tres & quatuor habet clavos, quibus Chriſto configitur. 109

Religioſi quindecim per viſũ tribus clavis Chriſto confixi. 262

Communio Sacra.

In ea Domini vulnera conſideranda. 80. vſque 82

In ea à Chriſto tamquam à magiſtro doceri debemus. 230

Concionator.

Cuiuſdam vanitas, quàm horrendè punita, 242

Conformitas.

Cum voluntate Dei. 232. vſque 400

Confraternitas, Congregatio

Inſtituta de vulneribus Chriſti. 54. 55. 56. 115. 379.

Coniugalis amor

In Regina Angliæ. 128

Digitized by Google

Conſolari.

Quomodo Deiparam in doloribus conſolari debeamus, quàm hoc Deo gratũ ſit per omnes Conſiderationes maxime. 398

Conſolatio

Omnis in omni tribulatione, tentatione, puſillanimitate in vulneribus Chriſti. 270. vſque 295

Converſatio.

Quomodo inſtituenda, quæ fugienda. 97. 322

Corona ſpinea Chriſti,

Ignominiæ. 372. Doloris. 373
Quomodo homo Salvatorem ſuum ſpinis coronet. 379
Quibus ſpinis debeat coronari homo. 383
Corona pœnitentiæ conſtat ſpinis tribus. 387
Æſtimatio coronæ ſpineæ. 380. 384. 387.
Ejus feſtum. Floruerunt ejus ſpinæ. 380

Corona quinque vulnerum.

Modus eam conficiendi, in Monitione ad Lectorem: eam recitandi. 7. 163
Quàm antiquus ejus vſus. 89
Quàm gratus Salvatori. 94
Non contrarius Roſario Deiparæ. 98
Ejus commendatio. 100, 101
Scala eſt quà ad Deum & ad cælum aſcenditur. 222

Crux Chriſti,

Illam pro gentilitio ſtemmate accipit S. Rodeſindus 2. Puella dum ſe comit illam ſpeculo adhibet. 13. Simile. 294.

D

Debitum

Noſtrum ſolutum à Chriſto.

Dies Veneris ſanctus

Quomodo colendus. B. Virginis dolor. 390. vſque 400.

Divinitas.

Eam in Chriſto probant vulnera. 219. vſque 223

E

Eccleſia V. Sacramenta,

Eleemoſyna.

Carolus Comes Flandriæ quotidie veſtiebat quinque pauperes in honorem quinque vulnerum. 73

Nullam negabat Ioannes Rex Luſitaniæ, rogatus per quinque vulnera. 157

F

Ferdinandus III. Imperator.

Elogium Suæ Majeſtatis de Paſſione Chriſti. 7

Feſtum quinque vulnerum.

Inſtitutum, cultum. 57. vſque 65.

Feſtum coronæ ſpineæ

Inſtitutum, cultum. 380

Fiducia. V. Conſolatio.

Fontes

Sunt vulnera Chriſti ad omnem neceſſitatem. 135. vſque 180

G

Gemmæ.

Vulnera Domini quibus S. Agnes ornabatur. 12

Gratitudo.

Quam debemus patienti ac morienti Salvatori. 403 405

H

Humilitas

Diſcitur in ſchola vulnerum Chriſti. 231. 232

I

Ignile

Reperitur in Chriſti vulneribus, quæ & lampades & lux ſunt. 295. vſque 200

Impœnitens.

Punitur. 245. vſque 249

Infirmi.

Digitized by Google

Infirmi.

Quomodo illis ſervitum & ſerviens remuneratum. 178

Iniuriæ.

Illius remiſſio. 119.110.157

Ioannes II. Rex Luſitaniæ.

Nihil negabat quod per vulnera Chriſti petebatur. 257

Iter agere

Docet S. P. N. Ignatius quo viatico & quibus ſocijs. 211

Iudicium extremum.

In illo vulnera Domini terror erunt malis, gaudium bonis. 240. 241

L

Lampas, Lux.

Chriſti vulnera. 195. vſque 200

Lampades quinque ante Chriſtum crucifixum. 57

Latus Chriſti.

Ex eo prodeunt Eccleſia & Sacramenta. 307. vſque 327

Præ reliquis vulneribus exhibitum à Chriſto dilectis ſuis, & ab his cultum, 316. 317. 318. & per reliquam Conſiderationem.

Liber.

Chriſtus Dominus conſcriptus ex vulneribus. 227. vſque 231

M

Magiſter

Chriſtus in ſchola vulnerum ſuorum. 227

Manus

Salvatoris operatrices, de his plura. 235

Maria Auſtriaca Imperatrix

Quid ſenſerit de ſpinea corona Domini. 387

Mediator. V. Advocatus.

Medicus, Medicina,

Sunt vulnera Chriſti, 110. vſque 134.

Digitized by Google

Nos ſuis vulneribus vult medicos Chriſtus, medetur S. Gertrudis. 129. 131. vſque 134.

Meditatio.

Quomodo facienda per quinque Domini vulnera. 2. 35. 36. 82

Mendicatio

Spiritualis in cælo inſtituenda. 102

Miſſa.

Eã B. Borgia celebrat in vulneribus Domini, quaſi in tẽplo. 51

Quomodo in illa vulneribus Domini uteretur. 52. 53.

Cur in Canone fiant 25. cruces. 49

Chriſtus crucifixus è vulneribus ſanguinem fundens viſus ſuper calicem in elevatione. 50

In eadem conſiderari poteſt ex ſacris vulneribus in præſentes Chriſti ſanguinem proſilire. 50

Calix repræſentat vulnus lateris. 82

Morbus

Animæ & corporis curatur per vulnera Chriſti. 130

N

Novitius.

In vulneribus Chriſti habet omne auxilium, ſolatium &c. 124. 273. vſque 279.

O

Orare.

Multa negat Deus, quia non petimus per vulnera Chriſti. 158

Oratio publica

Quinque horarum in honorem quinque vulnerum. 57

P

Parentes.

Quomodo mortem prolium ferre debeant. 390. 391. 392

Paſſio Chriſti.

Per compendium tota deſcribitur, & quæ ratio. 25. vſque 41.

Eius memoria utilis commendatur; ab ipſo Deo. 2. vſque 41

Peccatores.

Suos eſſe dicit Chriſtus. 160. 161

Re-

Digitized by Google

Refugium habent in ejus vulneribus. 162. vſque 172.

Pedes.

Salvatoris ſpecioſi. 104. 105.

Pentagonum quin tuplex Alpha.

Quomodo repræſentet vulnera Chriſti. 185. 311. vſque 314.

Protomartyr

Vulnerum Domini. 303

Pugnare.

Qnàm ſtrenuè ſervi Dei pugnent auxilio vulnerum Chriſti. 193. vſque 195.

Purgatorium.

Animas purgantes invare proprium Societatis eſt. 296. vſq; 300

Puſillaminitas. V. Conſolatio.

R

Remiſsio peccatorum. V. Debitum.

Regeneratio noſtra

Ex vulneribus Chriſti. 307. vſque 317.

S

Sanguis

Chriſti Domini, quàm homini proſit habent omnes Conſiderationes. Contemptus ut vindicat. 242. vſque 149

Schola

Quinque ſint vulnera Domini, in quibus omnis ſcientia diſcitur. 225. vſque 234

Sigillum.

Ejus materia, forma, vſus, applicātur vulneribus Chriſti. 335. 350

Sponſus

Mundi, poſtponitur Chriſto. 361.

Superior.

Quomodo ſe gerere debet cum ſubditis. 277

Digitized by Google

Supplicatio.

Inſtituta ad honorem quinque vulnerum. 57

T

Theſaurus

Vulnera Chriſti quantus ſint. 200. vſque 280.

Teſtamentum.

Vulnera Chriſti. Vulnus careris codicillus. 304

U

Veſtis.

Chriſtus paſſus nobis eſt, crucifixus, & vulneratus. 11. vſque 18

Vulnera Chriſti.

Quanti facienda. 41. vſque 79.

Quàm variè à varijs culta vide Tabulam Paragraphorum & Conſiderationum, quæ indicant theſauros & beneficia ſacrorum horum Pignorum.

FACVLTAS

Digitized by Google

Facultas Superiorum.

C*Vm tres Societatis Ieſu Theologi legerint, & utiliter edi poſſe cenſuerint librum qui inſcribitur,* Corona Sacratiſſimorum Ieſu Chriſti Vulnerum xxxv. Conſiderationibus ex Sacra Scriptura, SS. Patribus, Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ potiſſimùm deſumptis, illuſtrata, per P. Guilielmum de Wael à Vroneſtein Soc. Ieſu Sacerdotem, *Ego Ioannes Bapt. Engelgrave eiuſdem Societatis per Flandro-Belgicam Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi ab Admodum R. P. N. Goswino Nickel Præpoſito Generali factâ, concedo ut is liber excudatur per Typographum quem auctor elegerit. In cuius rei fidem has litteras, officij mei ſigillo munitas, meaque manu ſignatas dedi Antverpiæ 2. Ian.* 1654.

Ioannes Bapiſta Engelgrave.

Digitized by Google

APPROBATIO.

C*Orona* hæc *Sacratiſſimorum Ieſu Chriſti Vulnerum, xxxv. Conſiderationibus ex ſacra Scriptura, SS. Patribus, Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ potiſſimùm deſumptis illuſtrata per Guilielmum de Wael à Vroneſteyn Soc. Ieſu Sacerdotem*, nihil contrarium bonis moribus aut ſanæ fidei continet, ſed ſtimulos mirè efficaces ad perutilem erga ſacra Vulnera Salvatoris devotionem. Quare eandem (ab Auctore ſuo novis ſtimulis notabiliter auctam) tertio prælo digniſſimam cenſui, 16. Martij 1654.

Guil. Bolognino S. T. L. Can. & Lib. Cenſ. Ant.

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI IV. Hiſpaniarum Regis Catholici, & potentiſſimi Belgarum Principis, Privilegio cautum eſt, ne quis in ulla lingua librum, cuius titulus eſt, *Corona Ieſu Chriſti vulnerum Auctore R. P. Guielielmo de Wael à Vroneſteyn* Societatis IESV, præter *Cornelij Woons* voluntatem, vllo modo in Belgio intra decennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſum in has Germaniæ Inferioris ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecus faxit, confiſcatione librorum, & aliâ gravi pœnâ mulctabitur; vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ duodecimâ Martij 1654.

Signatum.

Loyens.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8-1

Digitized by Google